THEODORICI VRIE
THEOLOGI AUGUSTINIANI SAXONICI
HISTORIA
CONCILII CONSTANTIENSIS,
SIGISMUNDO
IMPERATORI
AUGUSTISSIMO CONCILII CONCILIATORI
INSCRIPTA.

Regi Regum, citra Christum,

SIGISMUNDO,

in IMPERATOREM totius orbis electo, Sacrosanctæ Romanæ
Ecclesiæ Advocato universali, Ungariæ Regi præpotenti,
Serenissimo Principi,
Ecclesiæ sanctæ, Christi sponsæ, fidelissimo filio, Regio exorto sanguine,
Patrisque sui Illustrissimi

CAROLI

Regis Imperatorisque semper Augusti, vitâ, scientiâ, regimine, moribus
& prudentia sectatori,
omniumque virtutum culmine perornato,

FR. THEODORICUS VRIE,

Inter Sacræ Theologiæ Lectores minimus Provinciæ Saxonicæ
Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini,
Contra militantis Ecclesiæ adversarios triumphum gloriosum,
Vitamque in præsenti cursu mundi gratia Dei plenam,
Et post hujus consummationem agonis
Gloriam consequi sempiternam.

EPISTOLA
THEODORICI VRIE
AD
SIGISMUNDUM IMPERATOREM
PACIS ECCLESIASTICÆ RESTAURATOREM.

Triumphantis Ecclesiæ tranquillitas.

GLoriosus mundi rotundi architectus, Monarcha supremus, *triumphantem Ecclesiam* in summa *pacis* ac *unitatis* stabilitate conservans, post *schisma* terribile horrendumq; conflictum, quem *Lucifer protoschismaticus* cum suis spiritibus apostatis injecit triumphantis civitatis civibus, firmissima *tranquillitatis quiete* eam confirmavit. Ejectoque admirandæ gerulo claritatis, cum ejusdem complicibus, in inferni baratrum, tanta facta est *unio*, ut nec quidem illi beati spiritus, de sua felicitate securi, amplius decidere valeant aut peccare. Qui communem cum Deo deiformem repræsentantes societatem, simplicissimam, beatissimam atque beatificantem divinam speculantur essentiam: *Militantem* optantes *Ecclesiam*, è cujus laribus magnis gravibusve certantes nisibus evolarunt, eidem supracœlesti conformari hierarchiæ, in *pacis* ac *unionis* radice firmissima. Ut sancta sit, & immaculata atque tota formosa, non habens maculam nequitiæ, nec duplicitatis rugam, neque in ea *divisio* pateat, aut cujuscunque vestigii *schisma* clareat, aut *haresis* horror deformet: Et, si aliquod in ea fuerit virus *scissura*, pariformiter extirpetur, ad modum, quo triumphans in cœlis Ecclesia post *schisma luciferi* pace quiescit æterna.

Militantis Ecclesiæ pax desiderata.

Sed quanquam *pax* perfecta atque integra *in hac militante* haberi nequeat *Ecclesia*: Nam pugnat contra hostem, ut vincat, & certat, ut coronetur, altera vero neque pugnat neque certat, sed sine hoste atque adversario regnat, pacis æternæ lauro coronata: Attamen summopere elaborandum est nisu toto, perfectoq; conamine instandum est, ut hoc perniciosum, periculosum, horrendumve *schisma*, quod jam perelectam Christi sponsam, tunicam inconsutilem, corpusque ejus venerabile, *XL ferme annis* periculosissimo & scidit & divisit errore, penitus tollatur è medio, & funditus evellatur. Quapropter idem Dominus Rex & sponsus eandem sponsam suam *unam* vocat & *unicam*, totamque formosam, dicens: *Una est columba mea.* Quam non modo partim pulchram & immaculatam nominat, sed revera totam pulchram appellat, & incontaminatam perhibet, cum in sequentia verba prorumpit: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te. Favus destillans labia tua, mel & lac sub lingua tua, odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. Surge, propera, amica mea, veni de Libano, veni, coronaberis.* Est namque tunica Christi sponsa inconsutilis, pro qua, milites ne dividerent, sortiti sunt. Innuitur, sponsam ejus, *Ecclesiam militantem* nullo *schismate* descœdandam, aut *quantocius resarciendam*, ne de scintilla ignis, & de virga fiat arbor. Poëta teste, qui ista docet præcavere, sic clamante:

Longum Ecclesiæ schisma ante Concilium Constantiense.

Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi:
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora *dat vires, teneras quoque percoquit uvas,*
Et validas segetes, quod fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,
Quo posita est primùm tempore, virga fuit.
Tunc manibus poterat summa tellure revelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

Disidia mature componenda.

Pax Ecclesiæ perfecta in terris non speranda.

Qua-

Quapropter idem subdit ibidem:

Principiis obsta, sero medicina paratur:
Nam mala per longas invaluere moras.

Eapropter si *in principio sufficientia* fuissent adhibita *remedia*, non tamdiu durasset istud deflendum *schisma*. Sed forsan istud dixit propheta futurum, cum ajebat: *Quadraginta annis offensus sum generationi huic, & dixi semper, hi errant corde. Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, non introibunt in requiem meam.*

Ecclesia corpus Christi.

Amplius, ipsa sacrosancta, in terris militans *Ecclesia*, *corpus est Christi*, sponsa, cujus ipse caput est, quod & ipse corrumpi noluit, eximio testante Propheta: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Hinc prædicator egregius, de isto glorioso *capite* & *corpore* venerando ad Colossenses scribens, ait: *Hæc est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, cujus factus sum ego Paulus minister, qui nunc gaudeo pro vobis in passionibus, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

Christus caput Ecclesiæ. Christus superior Ecclesiæ.

Est igitur *Christus caput Ecclesiæ* secundum divinam humanamque naturam. Nam *secundum divinitatis naturam* caput est Ecclesiæ, sanctorumque omnium, eos *vivificans* atque glorificans, utens eis ad libitum suum, sicuti caput membris suis principatur. Et secundum hunc modum tota Trinitas ineffabilis caput est universalis sanctæ Ecclesiæ, & triumphantis & militantis. Cæterum *secundum humanitatis naturam* caput est Ecclesiæ militantis per modum *excellentiæ*, sed non autoritatis. Sicut caput cætera membra excellit in situs altitudine, & in propriæ nobilitate virtutis. Nam nobiliores membris cæteris habet vires, imaginativam videlicet & apprehensivam, æstimativam sive cogitativam, & memorativam. Sic Christus *altitudine* Deitatis immensæ, humanitatis mundissimæ, qua omnium mundavit crimina, & nobilitate virium, qua omnem præcellit creaturam, merito caput est Ecclesiæ.

Et revera etiam in *perfectione* excedit. Nam, cum in cæteris membris sit tactus solus, in capite sensus omnes sunt aggregati. Hoc ergo modo *in quacunque natura perfectissimum*, *caput* vocitatur, sicut leo *caput* quadrupedum. Et secundum istam capitis proprietatem Christus est caput Ecclesiæ, & secundum divinam & humanam naturam. Quod secundum naturam divinam est in eo plenitudo omnis divinitatis. Quod Apostolus manifeste disserit, dicens, *in ipso habitare plenitudinem divinitatis corporaliter.* Et ab ipso, in quantum Deus, influit in nobis omnes gratias spirituales, & sic dirigit nos in se ipsum. Similiter ista conveniunt ei secundum humanam naturam, quæ in Christo est dignissima ratione altitudinis, quod est usq; ad unionem in persona divina exaltata. Ratione etiam exaltationis propriæ, quod dignissimum actum habuit in Ecclesia, scilicet redimere ipsam, & sanguine proprio ædificare. Itemque ratione perfectionis. Nam sicuti in capite est omnium sensuum confluentia, sic & in Christo est totius gratiæ perfecta plenitudo.

Christus dat vires Ecclesiæ.

Est & alia capitis conditio. Nam vires animales cæterorum membrorum habent *motum* suum atque *influxum à capite.* Sic namque *caput* dicitur *principium* aliorum membrorum, dans eis sensum & motum. Et hoc modo omne principium dicitur *caput.* Ita fons *caput* fluminum nuncupatur, & *caput* libri, & *caput* viæ. Isto modo etiam Christus est caput Ecclesiæ. Nam per ipsum *fidei* sensum *charitatisque* motum accepimus, & gratiam & veritatem, secundum illud Johannis: *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

Christus dirigit Ecclesiã.

Tertia capitis conditio est *virtus directiva.* Dirigit enim reliqua membra in operationibus suis & actibus, propter imaginationem & sensus, qui in eo formaliter abundant. Sic etiam ob hanc conditionem omnis rector *caput* dicitur, sicut Rex, Princeps, Pontifex & hujusmodi. Ea etiam ratione Christus caput Ecclesiæ verissime appellatur, quod direxit nos per se ipsum doctrina salutari: Primo per se, prædicando, quod cœpit Jesus facere & docere: Deinde per Apostolos & sanctos doctores, per quos lumine fidei nos illuminavit, & exemplis virtutum mirabiliter dotavit.

Christus

Est & quarta capitis conditio. Nam *caput*

& Ecclesia ejusdē natura.

caput & membra reliqua sunt ejusdem natura. Et secundum istam naturam Christo competit esse caput Ecclesiæ militantis, & hæc complet capitis rationem in Christo. Quod Christus secundum naturam humanitatis habet perfectionem homogeneam aliis, & est principium quasi univocum Ecclesiæ militantis. Et dicitur caput secundum humanam naturam, & gratiâ capitis, secundum quam istæ proprietates ipsi conveniunt, secundum quod influit aliis membris. Et isto modo convenit nobiscum in natura secundum speciem. Unde consequitur, quod convenientius Christus est caput hominum, quam Angelorum, quod cum hominibus convenit in specie, cum Angelis vero in genere intellectualis naturæ.

Ecclesia sit una.

Ex quibus luce clarius intelligentibus patulum est, *Ecclesiam militantem unam* esse debere *in Christo*, non divisam. Nam sicuti ex capite & corpore fit unum, sic ex Christo & Ecclesia fit unum, inseparabile & indivisum, quanquam sint membra multa, quæ non eundem actum habent. Unde doctor gentium ad Romanos loquens ita clamat: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum sumus in Christo.* Et sicut ex multis racemis vinum confluit, atque ex multis granis unus panis conficitur, & fit ex his omnibus unum: Sic ex capite Christo, & Ecclesia, quæ ex diversis membris constituitur, fit unum. Unum inquam tale, & taliter unum, ut Christus ipsi libellum repudii dare non possit.

Schismata in Ecclesia unde?

Quanquam plures instinctu diabolico permoti ipsum sanctum Christi corpus scindere machinantur, per quos fieri solent *schismata* & *contentiones*, quæ corpus ipsum monstruosum efficiunt. Et tales ab Apostolo *carnales* appellantur. Quales erant Corinthii, quibus idem scripsit Apostolus, eos reprehendens. Ait namque: *Cum inter vos sit Zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicit: Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego sum Apollo, homines estis.*

Schismata Ecclesia ante Concilium Constantiense

Et revera hæc fuit vox jam plerosque per annos: *Ego sum Johannis, ego Gregorii, Ego Benedicti.* Numquid Christus divisus est? Absit. At contra istos idem Apostolus ad Galatas intonat, *Omnes in Christo estis unum.* Et isti corpus Christi dividunt, imo caput à corpore scindunt. Unum est enim corpus Christi naturale: Unum corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, quam nullo modo scindi voluit aut corrumpi. Quod, ut idem Doctor ait ad Ephesios, *Unum corpus, & unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & pater omnium, qui super omnes & per omnia, & in omnibus nobis.*

E quibus claret, ad *unum caput nostrum, Christum* videlicet, omnia tendere membra, & omnia unum esse in Christo. Non ergo divisus esse debet Christus, quem tota Christianitas ita divisit. Quippe hæc *unio* monstratur in Christo, cum non cor nostrum, sed caput, neque cor Ecclesiæ, sed caput Ecclesiæ affirmetur. *Cor* enim est principium virium vitalium in toto corpore, & est primum principium membrorum omnium, quantum ad esse. *Caput* vero aliarum virium est principium, quæ ad sensum motumque pertinent. Cum igitur Christum dicimus esse principium membrorum Ecclesiæ, non est intentionis doctorum, quantum ad esse naturale, secundum quod homines sunt: Sed *quantum ad fidem & charitatem*, per quam Ecclesiæ membra uniuntur, quod sunt unum corpus Christi, & sunt unum in Christo. Hanc autem *unionem*, quæ post illam, quæ sacratissimo in virginis utero facta est, excellentissima comprobatur, impedit præsens *flebile schisma.* Unde quantæ & quot fuerint divisiones, quot accreverint contentiones, quot emanaverint scissuræ, claret mundum per universum.

Unionis desiderium.

Dissidia tollenda.

Qua de causa summe necessarium est, currens istud miserandum atque perniciosum *schisma exterpari funditus*, ut sacrosancta Ecclesia, Christi sponsa, in Christo sit una: Et populus hinc inde divisus, pretioso Christi sanguine redemtus, diu desideratam & affectatam *pacem* consequatur, qui huc usque magnis fluctuans in dubiis ignorat, cui parti debeat adhærere. Qua pestilenti ac

ti ac nefaria semota seditione, ipsa Christi sponsa electa una & unica resplendebit. Pro qua & Propheta deprecatus est in persona sponsi ita dicens: *Libera de manu canis unicam meam.* Sane Ecclesia, quæ una esse debet & unica in manu *canis* fuerat, hoc est, sub luciferi perstitit potestate, à qua se quotidie per *filios* suos, quos enutrit, quos resocillat, gemitibus instans, suspiriis inhians, repleta doloribus, petit, postulat, obsecrat & exclamat liberari. Hi sunt, quos non filios aut fratres, sed *patres* & *doctores* appellamus, *inter quos quidam* dignitate atque reverentia *sacerdotali, nonnulli* verò *regia funguntur potestate.* Quibus priscis & temporibus retroactis querulosa loquebatur voce, in hæc tristitiæ verba prorumpens: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

Reformationis votum. Sed nunc temporis advenit plenitudo, quo immaculatus sponsus desolatæ dudum miserebitur sponsæ: Per filios alios, quos parturiit & peperit, qui ipsam pestilentem, turbatam, divisam, scissamque, in hoc acceptabili tempore totis pro viribus intendunt & anhelant *reformare*..

Sigismundus Reformationis autor. De quorum numero *VESTRA SERENITAS* è seraphico demissa solio, caput est atque principium, finis atque medium, & totius originis fundamentum. Quæ non modo patrium solum, dominium, regnumve proprium, ob crucifixi fidem reliquit, sed etiam terras adiit alienas, & remota climata mundi: Quatenus Ipsa summa cum prudentia, quâ sponsus EANDEM excellentissime perornavit, flebile præsens, inveteratum, imò quodammodo induratum schisma exterminet & evellat. Quam utique Illustrissimæ *VESTRÆ MAJESTATIS* Serenitatem Christus, caput & sponsus sponsæ suæ Ecclesiæ, lamentabiliter læsæ, Rex Regum & Dominus dominantium, sibi singulariter præelegit fidelissimam atque fundatissimam reparatricem, prout evidentia facti monstravit, probat & probabit. HANC enim elegit ille atque prædestinavit, qui prædestinatus est, Dei filius, in virtute ante vasti mundi constitutionem, & suâ infinita disposuit sapientia ad tam egregium, arduum, necessariumque negotium perficiendum, quod pleriisque præclarissimis ex omni mundi sapientia viris difficile, imo impossibile factum est effectu. Quod, quanquam inceperint omnibus, quibus poterant, opera & opere, nixibus atque nisibus, scandalosum istud atque flebile tollere schisma, in fine tamen, quem aspirabant, defecerunt. Et id quidem tam excellens *sanctæ unionis* diu desideratum negotium, ne ulterioris sentiat dilationis detrimenta, ad Vos, tanquam serenissimum & *Ecclesiæ sanctæ fidelissimum advocatum* est devolutum, ut afflictæ ac desperanti Christianitati finem optatum imponatis affectualiter, cum effectu. Quantum namq; *VESTRA SERENITAS* ad id perficiendum elaboraverit, quantumque effecerit, orbem noscitur per universum, & in librorum processu succurrente Domino propalabo.

Sigismundi encomiũ. Eja ergo! Quantum fecit divina elementia, felicem illam animam moli corporeæ infundendo, & carceri carneo includendo! Euge & gaudeat illa Deiformis anima, Dei imagine incomparabiliter insignita! Quanto condita est sanctorum tripudio Angelorum! Quibus deinde claritatis speculum intellectus aperuit, ut præscirent, Eandem sponso candido & rubicundo sponsæ flebili & tristanti se pacis ac concordiæ fœdere jugiter unituram, miserandi schismatis veneno penitus extirpato.

Ob id igitur, aperiendum, *PRINCEPS ILLUSTRISSIME*, citra Christum, in hoc orbe præsentis miseriæ Regi Regum, *librum DE CONSOLATIONE ECCLESIÆ*, sanctæ sponsæ Christi, hucusque desolatæ, reverenter scribo atq; offero. Humiliter & devote commendans ordinem meum *VESTRÆ SERENITATI*, quem *Illustrissimus Imperator semper Augustus*, CAROLUS, *Bohemiæ Rex*, Vester genitor felicis memoriæ, multis favoribus & promotionibus est prosecutus. Personamque meam nullius valoris præsincerissimæ Vestræ Claritati commendo, supplicans Deo, pro nobis omnibus crucifixo, quatenus *SERENITATIS VESTRÆ* præclaram Reverentiam sanam atque incolumem, & sua plenam gratia usque ad felicis animæ expirationem dignetur conservare. Amen.

LIBER PRIMUS.
QVERELÆ ECCLESIÆ
De misero suo statu ante Concilium Constantiense.

METRUM PRIMUM.
Quo Ecclesia recolit status sui primævi sereniorem fortunam.

FLorens deliciis cantabam carmina lætis,
Dulcifluosq; sonos me resonante dabant.
Schismata scindebam, sectas vanasq; cavebam,
Dogmate mellifluo schismata despiciens.
Fortis & armata consev[illegible]emina grata,
Lumine quæ rutilo lumina clara dabam.
Mater eram natis, Christi de sorte vocatis:
Grata mihi soboles, grataque mater eram.
Petra mihi *Petrus*, Phœbus radians mihi *Paulus*,
Sponsa fui *Domini*, sponsus & ille mihi.
Cœtus Apostolicus cantabat cantica, cujus
Delicias colui, terrea quæque negans.
Secta procaxque gravis, sententia falsa, rebellis,
Non est fusa meo dogmate splendifero.
Candida tota patens, maculam rugamque relinquens,
Melle fluens fueram, dulcia mella gerens.
Mecum plauserunt, & dulce melos cecinerunt
Climata septena carmine mellifluo.
Astra poli radiis splendebant splendida claris,
Numina stellifera gaudia plura dabant.

* * *

METRUM SECUNDUM.
Quo deplorat Ecclesia casum primi sui status, & invehitur in Papam, Cardinales, & alios Prælatos Ecclesiæ, qui circa tempora Concilii Constantiensis fuerint omnes *vitio Simoniæ* infecti.

SEd restat lacrymosa dies, qua tristia promo!
En lacrymosa dies carmina flenda dabit!
Flebilis ista dies, cecidit qua gloria sponsæ,
Gloria qua cecidit. En lacrymosa dies!
Triste dabo carmen, plausum quia tristia pellunt.
Audiat hinc sponsus. Nam lacrymosa dies!
Prosternor fortis, collidor, læsa reformans:
Cuncta fovens, pereo, viva regens, morior:

Me

Me gratam matrem perimit mea proles iniqua,
Quam genitam pavi pectore sæpe meo.
Quis vidit simile, quis talia sensit amara?
Quod propriam voluit quisque perire matrem!
Vitis eram palmesque placens cum fructibus aptis,
Spem validamque dedi, gaudia plura colens.
Sed cum tempus erat fructus, dedit ipsa labruscas,
Vitis fructifera semina prava gerens.
Et rosa pulchra rubens, rosa candida, prata serenans,
Et fueram fructu sic rosa facta meo.
Crevit spina mihi, sine fructu spinea fio,
Sum veluti turpis arida facta dumus.
Gramine, germine, semine pinguis, flore corusca,
Depereo toto climate tota meo.
Papa stupor mundi cecidit, secum cecidere
Cœlica templa, mea membra, simulq; caput.
Papa dolor! mundique pudor! per crebra patescit
Crimina, seu scelera, famine sonifero!
Heu *Simon* regnat, per munera quæque reguntur:
Judiciumque pium gaza nefanda vetat.
Curia papalis fovet omnia scandala mundi:
Delubra sacra facit, perfiditate, *forum.*
Ordo sacer, baptisma sacrum, cum chrismate sancto,
Venduntur turpi conditione *foro.*
Dives honoratur, pauper contemnitur, atque
Qui dare plura valet munera, gratus erat.
Aurea quæ quondam fuit, hinc *argentea*, *Papæ*
Curia, procedit deteriore modo.
Ferrea dehinc facta, dura cervice quievit
Tempore non modico. Sed modo facta *lutum.*
Postq; lutum quid deterius solet esse? Recordor,
Stercus. Et in tali curia tota sedet.
Singula degenerant, putrescit curia Papæ,
Ipse caput scelerum dedecus omne parat.
Papa illum sponsumque meum dirus crucifigit,
Sicque iterum patitur dira flagella Deus.
Absolvens alios, se in mortem dejicit ille,
Turpiter inque ferum se jacit ille scelus.
Heu pudor! heu dolor! hinc & heu miserabilis ipsa,
Quæ fueram valida, vulnera multa fero.

* * *

METRUM TERTIUM.

Quo Ecclesia invehitur in humanum genus, quod degenerarit ultra omnem naturam cæterarum creaturarum.

SErvat cœlum mobile firmo lumine cursum;
Jupiter atque Venus, Mars, Mercuriusque Saturnus.

Phœ-

Phœbus, clarus lumine puro, tramitte grato,
Cum luna motum ſervat, quem condidit ipſe
Ordo, laudis germine magnus, flore coruſcans.
Sic roſa, ſic quercus, fortis leo, ſic quoque agnus
Producunt fœtus, quos vis dedit inſita rebus.
Eſt ſtabili fundata loco, quæ pendet ad undas
Frigida tellus, ſchemate vilis, vilior antris.
Nobilior natura Dei, quam vexit ad alta,
Turpior extat, ſicca, tetra, nigrior illa,
Unda labilior, quia ſpernit cantica ſummi.
Proſpera geſtit, paret pravis, mente procaci.
Heu mortale genus, quantum tu degeneraſti!
Ut cœli partem, quam conditor ingeniavit,
Turbida ſepellas, te brutis æquiparando.
Hinc vultus pallet, oculus flet, cuncta liqueſcunt
Corporis in membris conſita pulchra meis.

* * *

METRUM QVARTUM.

Quo Eccleſia invitat inſenſibilia ad deplorandam illius tempeſtatis corruptionem publicam.

O Dolor, omœror! o quantus luctus! Et aſtra
Cœlica flete modo! Tempora triſte parant.
Plangat tellus, & unda fleat, pontus lachrymetur!
Flammivomusque rogus evomat & lacrymas.
Omnis ſtella poli, Zonæque per omnia plorent,
Signifer obliquus proferat & lacrymas.
O vos ſigna poli voces emittite planctus,
Semina vilia vos tam generaſſe palam.

* * *

METRUM QVINTUM

Quo Eccleſia priſtina & meliora ſua fata, ſincerioremq; ſuam in fide ac religione conditionem, ex Salomonis imaginibus in Cantico Canticorum, repetit ac decantat.

FLorida de roſeo quondam ſtillantia flore
Mella tuli, ſponſoque dedi, præ cordis amore.
Ob quæ baſia plura dedit, quæ contulit ore.
Et dedit ora mihi dulci manantia rore.
Ubera temeto mea tunc meliora fuêre,
Unde meus dulce voluit lac ſponſus habere.
Me meus invexit in ſtratum ſponſus amœnum,
Dulces præmonſtrans oculos, vultumque ſerenum.
In me lætitiam, contemta nube doloris,

Exul-

Exultans habuit, plenam splendore decoris.
Novit me fuscam, nec ob hoc patui sibi pigra.
Et violæ tales sunt & vaccinia nigra.
Nigra, sed observa, sum nigra micansque vocata,
Quæ candore meo sum sponso sponsa probata.
Quam sponsus pulchram laudat splendore genarum,
Quæ nunquam promsi quod torvum, vel sit amarum.
Ut turtur simplex, & casta, simulque pudica,
Sic sponso fueram pulcherrima semper amica.
Ut flos in spinis niveo candore nitescit,
Sic meritis digna mea mens in amore liquescit.
Lectulus hic fuerat contectus gramine florum,
Labe carens vitii, spirans virtutibus horum.
Lingua, mente, manu, splendebam tota corusca,
Mundanæ maculæ nulla nigredine fusca.
Et favus in labiis distillans dulcia mella,
Lac quoque sub labiis depellens tristia fella.
Subfuit & capiti leva sponsi plena pudoris.
Dextra dedit sponsæ complexus larga soporis.
Sponsa fui sponsi cœlesti lumine plena.
Atque columba Dei, florens, clarens & amœna.
Sponsi continui dulcis constanter amorem,
Quem quærendo diu reperi renovando laborem.
Et dixi: Tenui, teneo, sponsumque tenebo,
Quem nec dimittam, sed amicum semper habebo.
Sæpe meus venit proprium dilectus in hortum,
Comedit fructum lignis de dulcibus ortum.
Et bibit vinum de vase meo renovatum,
Hincque favum cum melle meo dulcem, sibi gratum.
Pulchra fide, dulcis sermone, suavis amica,
Corde decora fui meritis, cum carne pudica.
Lilia tunc legit: Nam castas flore pudoris
Mentes collegit ad præmia summa decoris.
Meque sibi junctam tunc sponsam sponsus amavit,
Dogmate quam sacro, dulci quoque laude beavit.
Filia quæque Sion me cernens laude trophæi,
Et cum Reginis laudavit luce diei.
Candens, ut luna, lucis dulcedine luxi,
Ut solis radius lecta rubedine fluxi.
Dilexi sponsum sponsi dulcedine capta,
Cujus amore liquens sursum forem undique rapta.
Sponsa meo sponso servavi poma vetusta,
Et nova mala simul pulchro candore venusta.

* * *

METRUM SEXTUM.

Quo Ecclesia conqueritur apud Christum de dilato auxilio in istius temporis calamitate, stylo Cantici Canticorum.

O Heus præteriit, fingens ab amante recessum,
Subtraxit gressum, sponsus, mea limina spernens.
Dulcoris gustum mihi tollit sponsus amœni,
Vberis hinc pleni lactis pellitque saporem.
Sponsa meum quæro, gyrans, & quærito sponsum:
Nec dat responsum, nec percipit aure vocatus.
Surgo, meo, curro, me quæstus cura fatigat.
Nec per quem figat sua lumina, , cernit ocellus.
Custodes sed me cernunt, quam vulneris ictu
Diro conflictu quatiunt, *mea vellera tollunt.*
Heu dolor, heusque labor, pudor hic, mea dira rapina
Subtraxit vina dulci stillantia vite.
Heus sponsi facies! Heus ejus pulchra figura
Est mihi jactura, quam spernit amatus amore.

* * *

METRUM SEPTIMUM.

Quo Ecclesia anhelat ad opem sibi à Christo ferendam, stylo Cantici Canticorum & verbis Mariæ Magd.

NUm vos vidistis hunc, pro quo mens mea mœret,
Cui totis hæret affectibus ista figura?
Dicite, num sponsum vidistis, numque tulistis?
Hunc humeris istis capiam semperque tenebo.
Dicite, num lateat: magno sectabor amore,
Ejus ut ex ore vocem mittat mihi dulcem.

* * *

METRUM OCTAVUM.

Quo Ecclesia implorat Christum, qui præsentibus malis medeatur.

DIc ubi, sponse, manes, solito quem diligo nisu.
Qui splendore tuo sum pulchra venustaque visu.
Dic, ubi, sponse, cubas, ne pervaga sim, vaga currens.
Accedas, rogo te, mihi subde silentia quæso.
Audi nunc miseræ vocem, carmenque doloris,
Horroris planctum tua, te precor, audiat auris.

* * *

METRUM NONUM.

Tristes Ecclesia canit elegias, quibus suam illa ætate in corruptione publica miseriam deflet.

VÆ mihi, sponse meus, mihi væ, væ væ mihi, sponse!
O dolor! ô rabies! Væ mihi, sponse meus!

Te-

Terricolis sic prædixit dulcis paranymphus,
Væ, væ, væ sit eis! Væ mihi sponse meus!
In me tela mea proles trajecit iniqua,
Et caput & membra. Væ mihi sponse meus!
Omnes declinant: Et inutilis omnis amicus,
Proh pudor! est factus! Væ mihi sponse meus!
Inspexit terram Dominus, uæsivit & unum
Justum, nec reperit. Væ mihi, sponse meus!
Hinc clamant, fingunt, ululant cum crimine grandi:
Non Deus est ultor. Væ mihi, sponse meus!
Me tribulant omnes, & cantant fulmine forti:
Spes tibi nulla patet. Væ mihi, sponse meus!
Vah! veteri legi sum turpis fabula facta,
Gentibus opprobrium. Væ mihi, sponse meus!
Atque tuis, sponse, monstrum sum facta, cachinni,
Meque manu monstrant. Væ mihi, sponse meus!
Schismate me magno mea proles commaculavit
Tempore non modico. Væ mihi sponse meus!
Dedecus hinc populi sum facta, ruina potentum,
Atteror opprobriis. Væ mihi, sponse meus!
Clara velut stellæ splendens jam sordida labor,
Candida sicut ebur, pereo, sponse meus!
Pulchrior in pulchris, qua nunquam pulchrior exit,
Horrida jam venio. Væ mihi, sponse meus!
Melle mage dulcis, claroque micantior astro,
Nunc spernorque teror. Væ mihi, sponse meus!
Me totam velat, & desperatio lædit,
Nec spes ulla mihi. Væ mihi, sponse meus!
Mitior agno, purior aura, clarior auro,
Deprimor ac ferior. Væ mihi, sponse meus!
Turture simplicior, vernanti pulchrior herba,
Dedecorosa feror. Væ mihi sponse meus!
Ille decens vultus, tibi gratus, tollitur hoste:
Vulnera plura mihi. Væ mihi, sponse meus!
Languit, aruit, occidit illa lucerna coruscans,
Illa fides fidei. Væ mihi sponse meus!
Ille status roseus, nullo qui schismate vixit,
Decidit, & cecidit. Væ mihi, sponse meus!
Huc properate viri, jam florida confluat ætas,
Plangite nunc teneri. Væ mihi, sponse meus!
Fundite fletus, pungite pectus, plangite cuncti,
Dicite jam pueri, væ mihi sponse meus!
En mala sors, extat mea mors, mea gloria quævis
Decidit in rabiem. Væ mihi, sponse meus!
Pœna mihi mea vita gravis, mea vita peribit,
Mors erit infelix. Væ mihi, sponse meus!

PROSA LIBRI PRIMI.

Pares Ecclesiæ lacrymas fundens.

DISTINCTIO I.

Ecclesia figurâ Caini & Abelis pingit statum suum geminum, sincerior em in Abele, & corruptum in Caino. Et dolet, se in præsenti ista corruptione publica prævam Caini indolem referre.

AB origine machinæ mundi, cum tu, o mi sponse amantissime, cæteris creatis, formavisses hominem, ad tuam imaginem tuamq; Deiformé similitudinem, cui mandatum posuisti, ut multiplicaret infirmum adhuc mundum cognovit uxorem suam anno vitæ suæ xv. ille videlicet primus accola, paradisi terrestris custos, *Adam*, & genuit *Cain*.

Qui cum adoleret, factus est avarus agricola. Quem pater ejus docuit Deo primitias ac decimas offerre. Obtulit ergo corrosas spicas & vacuas, fructu jam excerpto, sibi ipsi meliora reservans.

Transactis igitur XV. annis aliis post nativitatem Cain, Eva genuit *Abel*, virum totius innocentiæ cultorem, cui de gregibus cura fuit. Offerens Deo oblationem gratam, acceptus illi factus est. Et id quidem ex sacrificii immolatione pernotuit. Nam ignis de cœlo descendens offertorium ejus succendebat. Quâ re â fratre pensata, concidit ipsius facies, immutatusque est vultus illius, & dolose Abel in agro Damasceno peremit.

E quibus *duæ civitates* ortum habuere. Una videlicet *sanctorum*, quæ peregrinatur in terris, expectans habitationem in cœlis. Hæc, inquam, ab Abel incepit, & non ab Adam, quod sic continua non fuisset. In hoc igitur justo & sancto homine ego paupercula initium sumsi, & non in primo parente Adam, ut initii mei, atque fontalis principii nullus unquam finis adesset. Fuit & iste monogamus, præsignans, unius virginis unum & tunicum esse debere sponsum, ut fides inter sponsum sponsamque stabilissima conservetur, quos Deus gloriosus conjunxit, ne & ipsos possit homo, aut proprio, aut diabolico persuasus instinctu, separare.

Abel idea proborum.

Altera verò civitas *reproborum* est, quæ in hac terra suum constituit habitaculum, ab amore sui incipiens usque in contemtum Dei. Hæc est quæ de salute æterna, sicut Cain, desperat. Hic fuit primus Rex, qui primam in terris condidit civitatem, & eandem fraterna cæde immaniter fœdavit, opes atque divitias rapinis congregans, & violentia usurpans, suos ad latrocinia incitavit. Terminos terræ primus posuit, civitates munivit, & quod, quos offenderat, metuebat, se suosque in urbibus collegit. Ex istius progenie natus est *Lamech*, vir bigamiam primus introducens. Hic est septimus ab Adam. Nam Adam genuit Seth, qui Enos, qui Caynan, qui Mahalael, qui Jared, qui Enoch, qui Methusalem, qui Lamech. Et hic finem habuit ætas prima mundi.

Cain idea improborum.

Ex his argutias, ut etiam claro patet intuitu, conjicio. Ac deinde me firmissima convicturum sententia arbitror, *statum propositum commutatum*, atque ea, quæ de Cain recitata sunt, servire occurrenti speculationis modo, ut penitus videar *ex Ada primogenito ortum atque radicem contraxisse*. Quod ne indignum videatur atque absurdum, super jam positis fundor fundamentis. Primario namque præmonstratum est, ab Abel idcirco me sumsisse originem, ne existerem intercisa, sed continua, non interpolata. Secundo, ut monovira essem, non bivira aut trivira, cum ille in singulis me taliter figuraret. Ex istis convincam luce clarius, me *in Cain ortum habuisse*.

DISTIN-

DISTINCTIO II.

Ecclesia Cainiticam suam conditionem tempore nefandi illius schismatis graphice pingit, & corruptissimos eosque continuos illius seculi mores aperte designat.

Malorum successio continua.

QUoad primum, brevissime me expedire docet intercisio manifestissima, quam si quis negare voluerit, proprio se percutit gladio. Per totum namque mundum omnia, quæ enumerari poterunt, *mala malis succedunt*, *bona* vero *bonis succedere non videmus.*

Sunt jam *quasi quadraginta anni*, in quibus tantam *continuationem servant* non modo *mali* sed & *pessimi:* Ut ego quasi tota videar à te tuisque filiis derelicta. Si tempus jam recitatum computationi redderemus, utique oculato lumine intueremur, quot & quanti regnaverint & regnent *tyranni*, tam *dignitate spirituali*, quam temporali *fungentes* potestate, rapientes, spoliantes, deprædantes, incendentes, & templa tua meaque prophanantes.

Tyranni.

Veniamus ad *hæreticos*, fidem tuam impugnantes, & ecce innumerabilis est eorum exercitus.

Hæretici.

Quondam regnaverunt tyranni, me pro suis viribus vulnerantes & persequentes. Tyranni quidem ab orthodoxa fide alieni. Sed nunc *cum tyrannis*, Christiano vocabulo gaudentibus, erigunt se impiissimi fidei nostræ inimici, *hæretici*, per orbem viri famosi de Nimrod suscitati.

Resurrexere de suis *Datan & Abiram* sepulchris, se contra Mosen hominem mitissimum erigentes. Qui sunt hi, nisi *schismatici*, findentes me sponsam tuam flebili ac nefandissimo *schismate*, quod jam, proh dolor! quasi *annis XL. te* offendit, me molestat, te percutit, me vulnerat, te lædit, me anxiat, contra te errores, & mihi immittit dolores.

Schismatici.

Ecce qualis est hæc continuatio! Timeo, ne sit *desolatio*, de qua Propheta Daniel ait: *Et finem desolatio non habebit.* Tota igitur eheu plena sum, proh dolor! per continuationem hominibus malis, imò pessimis, nostræ sacrosanctæ religionis inimicis. Et hoc melius ad *experientiam* cernimus, quàm in codicibus legimus.

Doceat & approbet istam argutiam ipsa certissima *evidentia*, quæ omnium rerum efficax est magistra. Si poteris, elice, vel si magis placet, elige *bonos*, *justos*, *sanctos*, *pudicos*, *sobrios*, *prudentes*, *humiles*, *mites*, *mansuetos*: Velles utique, sed *non invenies.* Et ô utinam *unum bonum* invenire posses, *unum* dico *sapientem*, *prudentem*, *religionis* tuæ *dilectorem*, *pudicum*, *castum*, *benignum*, *misericordem! Unum* dico. Quæro ipsa, sed non invenio. Quod Prophetæ dictum, qui mentiri non potest, verificari necesse est. Ait namque: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat an sit intelligens aut requirens Deum.* Et respondet: *Omnes declinaverunt, similiter inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Impii.

Ecce cerno non esse bonum hominem inter filios hominum. Et tu nosti, quod tu ipse fuisti, qui de cœlo videbas, & non invenisti quærens unum bonum hominem. Quomodo igitur fui continua, quæ vitiis omnibus plena sum? Heu mutatus est color optimus.

Merito igitur radicem traxi de *Cain*, cum omnes filii mei *raptores* sint, & *avari*, *invidi*, *iracundi*, *latrones*, *hæretici*, *schismatici* penitus & *tyranni*, me matrem suam per omnia infamantes, scandalizantes & destruentes.

DISTINCTIO III.

Queritur Ecclesia, se per tres Pontifices Schismaticos, Johannem XXIII. Benedictum XII. & Gregorium XIII. misere laceratam, ut nesciret, quam sequeretur partem, aut quo se verteret.

AMplius radix secunda, quod videlicet *monovira* esse debeo, & non *bivira*, luce clarius apparet, cum neque in Ecclesia sacerdos aliquis bigamus esse valeat. Talis namque prohibetur ordinari. Eadem igitur ratione & ego unico sponso unica sponsa nubere cogor. Sed revera me non modo biviram sed & *triviram* & extitisse & jam esse, ipsa docet experientia manifesta. Soror namque tonantis hoc modo *novitii solum relictum* est. Jovis altitonantis *relicta* videor, aut certe *concubina*. Unde herculeas, ut timeo, comitabor insanias.

Scio namque, noruntque multi, ut priora repetam, unius uxoris unum & unicum sponsum secundum legem tuam, neque plures esse debere. Nam sacerdos aut Episcopus bigamus esse prohibetur. Unde Pauli gentium Doctoris sententia hæc est: *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum.* Cujus sententiæ sensus trifario est intelligendus intellectu. Primo, unius, quod *non plurium uxorum*: secundo, unius tantum *uxoris*, hoc est, *non concubinæ*: Et hic est intelligendum quod fuerit tantum uxor ejus, & nunquam concubina: Itemque tertio, unius tantum hominis, *non plurium virorum.* Debet ergo esse una unius viri, & unus unius uxoris, propter integritatis servandam fidem.

Ex his moveor, multumque perturbor, videorque simpliciter *derelicta*, abjecta similiter & *contemta*. Claret, o mi sponse dulcissime, cui loquor, cui gemitus edissero meos, in te mea jaculor suspiria, ad te habeo secreta quæ perferam, quomodo non tam unicam, sed plures acceperis sponsas. Divisisti te in plures, meque contemta superinduxisti alias. Nescio tamen, an *adulteras*, an *concubinas*. Adultera secundum legem tuam, quam ipse sanxisti, divortio disjungitur. Bigamiam etiam ipsa lex tua non admittit. Quomodo ergo *tres uxores* duxisti? Forsan *concubinæ* sunt. Et id ipsum schisma tua scriptura vetat. Vel fortuito in fornicatione tibi junctæ sunt illæ concubinæ. Et sic in nefandis criminibus lex tua salvifica vivit. Non ergo ex Abel monogamus, sed trigamus ex Cain progenie factus es. Et ego *bivira* & *trivira* rei evidentia probata sum.

Tres Pontifices de Ecclesia contendentes.

Vetus illa quondam legis summa bigamiam permisit, & trigamiam, raritate generis humani coacta: Sed in nostra nisi morte interveniente non admittitur bigamia. Neque sacerdotem etiam quocunque emergente casu concedit esse bigamum, quippe qui eo ipso irregularis efficitur. Et tu, o mi sponse dulcissime, qui per *virginem* præsignaris, omnimodam servare debes integritatem. Ego vero per *sacerdotem* designari non dedignor, quod nempe semper immaculata polleam castitate, quæ ab adultero Diabolo ad te sponsum meum transivi. Tenes igitur uxoris locum, sed virginis. Nam sicuti mulier quoad procreandam sobolem, nutriendam, custodiendamve primiceria ac principalis est: Ita & tu filiis tuis prælatus es, ut eis de omnibus, quæ necessaria sunt, providere non dedigneris. Qua ex re tu nullo modo, nulla vi, nullove ingenio sponsæ tuæ fidelissimæ fidem frangere deberes, quam utique te fregisse negare non valebis.

Dic ergo quæso, quæ est sponsa tua? Quæ uxor tua? Illa, quærito, quam fovit *Johannes* XXIII? An illa, quæ consensit *Gregorio?* Aut ea, quam sustinet *Benedictus* in Francia? Et utinam hujus rei scirem veritatem!

Quapropter, o mi sponse amantissime, qui castis amplexibus mihi consueveras conjungi, cur tanto tempore fracta fide à me divisus es, adulter factus, nescio an fornicarius? O vesania! O su-

O furor! O viscerum meorum inexplicabilis dolor! Quo hæc merito merui, ut sic à te contemta videar, cui jam olim, ut me haberes unicam, tantam dignatus es fidelitatem ostendere, ut crucifigi non dedignareris. Quid igitur feci tibi, aut in quo molestavi te, responde mihi. Æqualis appareo claritati abjectæ atque nefandæ synagogæ, nec non resplendentiæ gentilitatis, quæ quodammodo sejectis ignorantiæ tenebris in *nostra divisione* lucem se gloriantur atque gloriam induisse. Quondam ego lucifera mundum veri solis radiis illuminavi, nunc tenebris & erroribus, omni posthabita tergiversatione, sum vestita.

Lustris octo quasi jam peractis, tempus implens *schismatis*, nulla spe feror, passionibus dedita, in cruce levor immolata pessimis. Utinam Agamemnonis inclita fuissem filia, ut sic saltem Deorum fuissem auxilio defensa. Unde vultus pallet, corda languent, atque omni spe solatioque destituta, tam crudeliter atteror, ut etiam me pigeat vivere; Imo tædet animam meam vitæ meæ. Et ut adversum te loquar, eloquium meum est necesse: Si sponsus meus es unicus, fidemque si ratam habueris matrimonio combinatam, si sacramentum tenere volueris, facito, ut & ego tibi sim unica sponsa tua, non divisa per partes, non per *scismata* scissa, non per *dissensiones* maculata. Ad te enim spectat defendere sponsam, & ab omni tribulatione immunem conservare. Quare me lacerari permittis? Quare tunicam tuam, quam scindi nolebas, dirumpi admisisti? Quare sanctum corpus tuum à corruptoribus non defendis? Ad te spectat pascere gregem tuum, & à *canibus male custodientibus* liberare, qui revera *mercenarii*, *non pastores* comprobantur, qui lupos intrare permittunt, & oves tuas jugulare.

DISTINCTIO IV.

Infaustum illud trium Pontificum schisma, ex justa vindicta divina ob publicam impietatem ortum, devotis precibus deprecatur Ecclesia.

Dissensionum finis à Deo petendus.

NOli quæso, o mi sponse dulcissime, si tecum loquor, irasci. Nam loqui prohibita tacere non possum. Memini, te verbo dixisse firmissimo, totique mundo prædicasse: *Misericordiam volo.* Novi, te propter peccatores ex charitate nimia miserum hunc orbem introiisse, & ex intemerata virgine carnem sumsisse humanam, veram, non phantasticam. Et ideo, si tu aliquando iratus fueris, *misericordiæ* recorderis. Te quoque ut miserearis omnium, exoro, meoque dolori compati te velle, suppliciter deprecor & devote. Potes enim, si volueris, & ut velis, humiliter exposco, & id totis ex viribus concupisco.

Venisti, ut peccatores salvos faceres, salva me infirmam, ægrotantem, afflictam & desperatam, qua non est miserabilior, neque inter filias hominum infelicior, quæ tam *horrendo* tamque *flebili schismate* turbor. Salva nostros, sana *discrimina*, *pericula* absolve, *scelera* discinde, *servitutem* laxa, restitue libertati, pro quibus spinea coronatus es corona. Noli, quod novi, te non velle, cito jacere jacula, qui tamen distulisti dudum, ne sanares vulnus putridum & sanie jam corrosum.

Miror, cur *differas*, cum, quando volueris, medicinam possis adhibere.

Ulcisci hominum *peccata* videris, justitia nimis vindicante, & erroribus & *schismatibus* dudum ingravatis tela vindictæ projicis, & forsan in innocentem. Quod unde meruerim, ego penitus ignoro, quæ totius *iræ* sentio *pondus.* Teque, si ausa sum dicere, continuum intueor ultorem, armatumque semper horreo te, ut assidue ferias delinquentem. Nam poëta testis est, ut nunquam inermis procedat, qui semper intendit vindicare. Unde ait:

Si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Si

Si non peccassem, quid tu concedere posses?
Materiam veniæ sors tibi nostra parat.

Convertantur igitur & resipiscant, & tu misereberis eorum. Nam *flectitur iratus prece rogante Deus.* Adsit igitur tua infinita bonitas, assistat tua immensa pietas, astet & tua inserutabilis benignitas, & miserere mei, & miserere populi tui. Recordare amplexuum tuorum, & osculorum, meque miserabilem, sed proh dolor nulli, nisi tibi soli miserandam, digneris auscultare, qui forsan *hoc in luctuoso tempore* oblitus es misericordiarum tuarum, qui semper misereri consuevisti. Expande ergo gremium, aperi sinum, & ad præfata respondere dignare, & modo, quocunque volueris, me consolari non desistas. Nemo namque te præter, poterit mihi consolationes innectere, quæ desperationis laqueo gravissime sum immersa.

LIBER SECUNDUS.

SOLATIA CHRISTI

De spe, infandi illius in Ecclesia schismatis per SIGISMUNDUM IMPERATOREM extinguendi.

METRUM PRIMUM.

Christus solatur Ecclesiam communi fatorum exemplo, quod, uti pericula & infortunia multis sæpe contingant, ita & cum sereniori fortuna eadem mox permutentur.

SIste modum, siste. *Nec enim fortuna querenda*
Improba. Nec tibi sola patet. Aliis sua tela
Immittit dira. *Reliquorum cernito casus,*
Mitius ista feres. Medææ tristia vertas.
Quam dolor, hinc & amor, docuerunt cædere natos.
Per varios casus, per multa pericula, vita
Labitur humana, per tot discrimina currens.
Vincit nunc *victor*, tunc *victus.* Sors dat utrumque.
Victoresque cadunt. Sic *spes bona* vincere præstat.
Spes bona dat vires. Sit spes in pectore firma.
Degeneres animos timor arguit, spes bona firmat.
Et *fortuna vices commutat.* Nunc mala surgit,
Crasque cadet. Forsan miseros meliora sequentur.
Magnanimis magna, *timidis* brevis addita virtus.
Invida fata piis, perversis sors bona crescit.
Adde *moramque brevem.* Credas, *mala cuncta ministrat*
Impetus. Expecta, cernes sortem variari.
Magna ruunt, tenues excrescunt, quæ virga fit arbor.
Hinc tibi pone modum, sub primo limite siste.
Supprime, dum nova sunt, magni mala semina morbi.
Tempora dant vires, mora vires crescere fecit.

ME-

* * *

METRUM SECUNDUM.

In memoriam Ecclesiæ revocantur pristina in antiquis malis solatia.

MUlta fuêre tibi *solatia*, cantica multa,
Carmina lætitiæ florentis plura fuêre,
Tempore præterito. Cœlesti flamine plena
Gaudia, perennis de fonte fluentia vitæ,
Læta chorea chori, roseis falerata coronis,
In nostris pâtuere locis super omnia pulchris.

* * *

METRUM TERTIUM.

Per SIGISMUNDUM IMPERATOREM dissidia illa in Ecclesia iri compositum, læta voce promittitur.

ETsi forte sata sevit mala perfidus hostis,
Ex quibus excrevit fructus cum semine falsus:
Omne tamen sparsum solido portabitur antro,
Et luet ex merito, falsus qui semina falsa
Sevit, & induxit, percusso pectore falso.
Nec validum dirumque putes tam schisma patere,
Quod nullo valeat divelli posse potente.
Sæpe fit, ut molle durum compescat & arctet.
Vomer humo teritur, lapis undâ, pollice gemma,
Et lupus atque leo muscarum fit cibus, atque
Sic formicarum fit & ursus sumtus & esca.
Mittam non magnum, sed *mitem*, quem velut agnum
Accipies, REGEM, lætans, sed jure regentem.
Hic te salvabit, & mira pace beabit.
Hunc in processu nosces super omnia posse
Per me perficere, quæ dudum cœpta fuere.
Et nova tunc summo redolentia gaudia flore
Cernes lætanter, plene cessante dolore.
Tunc cum virginibus roseis tu fulta coronis,
Junctis & reliquis præcedes digna colonis.

PROSA LIBRI SECUNDI.

Solatia CHRISTI illustrans.

DISTINCTIO I.

Ex Adami lapsu fons omnis mali derivatur. Ex Christi redemtione omnis salutis principium repetitur. Quam verò sub tribus Pontificibus tunc dissidentibus Ecclesia Christi passa sit injuriam, pingitur exemplo Caini Abelem occidentis, & Synagogæ Judaicæ Ecclesiam Christi persequentis.

AUdi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Hæc tibi pro solatio, quæ dolori gravissimo succumbis. Adjicio, miserens status tui lacrymabilis, cui subdita ac immersa probaris, condolens infirmitati tuæ, quæ quasi desperationis laqueo innodaris. Paulatim igitur ad opus consolationis exsurgens, quantopere potero, te consolabor. Audi ergo filia, & vide, & inclina aurem tuam. Tu es unica sponsa mea, filia unica, atque præ cæteris filiabus amantissima. Audi ergo, filia, patris in solio residens, candor lucis æternæ, speculum sine macula, Deique majestatis imago.

Tanto fueram divino Deitatis radio clarificatus, ut non rapinam, sed naturam arbitrarer me patri similem, cum quo præsens aderam stellcum fabricans olympum, mirando decore politum. Trifariam etiam in novem sanctorum beatorumque spirituum ordines condistinctam edidi hierarchiam. Et post tam admirandam in singulis cœlestis atque aëreæ naturæ stricturam, irrationalem, humanamque formavi plasmaturam. Statuens *hominem*, quem Deiformem plasmavi, in locum amœnitate conspicua refertum, cui florum rosarumque præbui solatia, fontium etiam tribuens claritatem. Intus vero & exterius dulcedine decoravi hominem illum mirabili, quem ad mei ipsius Deiformem imaginem conformavi.

Lapsus Adami. Qui tamen ad hæc omnia *ingratus*, pomo, cujus esum, ut ejus probarem obedientiam, inhibui, cecidit, & lapsus est. Ob cujus enormem, frivolamque pertinaciam, ignominiosamque piaculi sui excusationem, tumidamve sceleris illius impietatem, ejeci miseram, quam beatam plasmavi creaturam, è tantæ suavitatis atque decoris horto rosifero. Atque deinceps proles, ab ipso procreata, vitiosa facta est propter ejusdem inobedientiam, & multis innixa sceleribus se sæpius à me avertendo pertinaciter peccavit.

Christi redemptio. Considerans igitur, tantæ fœditati nullam posse succurrere creaturam, de cœlo descendi stelligero, ex intemerata virgine carnem assumens. *Natusque* mundo visibiliter te sponsam in figura præelegi, in synagoga quondam figuratam, quæ me corona spinea ludibrio coronavit, quam & tunc sprevi, te in sponsam eligendo. Te quoque sub Sathanæ constitutam potestate illi eripui, & te duxi sponsam meam, oblitus populi tui Hebræi, domusque patris tui. Atque ut te servarem illibatam, *XXXIII. annis* summopere summaq; diligentia laboravi.

Tu es igitur una columba mea, una dilecta mea, quam concupisco, quamque præcæteris Reginam mihi associo. Nam Vasti Regina superba repudiata, te Ester, radiosam atque formosissimam elegi.

Schisma Ecclesiæ ex ipsis est Christianis. Obliviscere igitur populum tuum. qui te unire deberet, & schismate pessimo maculavit. Filii tui te macularunt, te infamaverunt, teque juxta iter ambulantium scandalum posuerunt, & in omnibus gentibus per mundi climata viventibus opprobrium fecerunt. Populus vipereus propriam

am interemit matrem. Serpentina soboles genitricem suam interfecit.

Obliviscere hunc populum, sed non ad *pœnam*. Luat ipse, quam luere debet. Nam, ut ait Poëta:

Nec enim lex justior ulla,
Quam necis artificem arte perire sua.

Pœna turbarũ.

Pereat *schismaticus populus*, schismatis inventor; Erret, qui errorem posuit: Interficiatur, qui interemit. Obliviscere & domum patris tui. Hæc domus *Hebræus* est *populus*, qui tui à longo tempore oblitus est. Hanc obliviscere, domum *synagogæ*, congregationemque virginum fatuarum. Ecce populus tuas populus *schismaticus* est, à tuis promotus doctrinis, qui errorum tumore stimulatus te sanctam, te formosam, te matrem speciosam impiè dereliquit, atque alios fecit errare & à veritatis via declinare. Ecce domum patris tui, aspice *synagogam*, quæ non modo te sed & me aspernata est, illudens me in vita pariter & in morte, etiam usque in diem hodiernum.

Christiani Judæis similes.

Est & alia secta, à tuis semota laribus, quæ multifarias sententias multiplicibus intenta rationibus æmulatur. Hæc est, quæ Deos Deasque veneratur & colit. Nunc Saturno sacra, nunc Jovi sacrificia, nunc Junoni, nunc Floræ, cæterisque Diis & Deabus divinos imponunt honores. Enimvero quædam istarum *à Cain*, nonnullæ ab *Abel* ortum habuerunt.

Illa, certissime scias, serenissima *fides*, quæ in Deum verum, unumque & unicum credidit: Quæ me pro humano genere incarnandum, atque postremo occidendum, firmissima fide tenuit, *ab Abel* sumsit initium. Quod sic omnes *patres* veteris legis crediderunt, similiter & *Prophetæ*. Hanc fidem habuit Adam, habuit Abel, habuit & Abraham, cæterique omnes viri sancti, sive circumcisi, sive incircumcisi, qui per me salvati sunt, habuerunt. Nam & eo tempore, quo Abel vitam animalem agebat in terris, ego ipse caput ejus extiti, cæterorumque sanctorum. Etiam secundum humanitatem, non simpliciter existentem sed creditam, me quoque hi crediderunt Deo simillimum, charismatibus repletum. Idcirco per hanc fidem aliquid in eos de similitudine fluxit de me, volueruntque hoc modo similari, & assimilati sunt sancti fideles incorrupti.

Fides Abelis.

Patrum, Prophetarum.

Qua ex re collige, quod ab Abel justo usque in diem præsentem, futurumque judicium, quod obtulit mihi pater meus, tu sponsa mea, una domus, una anima, unum corpus, unusque panis, & es, & vocaris.

Ea vero secta profana, quæ in me nec credidit, neque credit aut credet, à Cain ortum habet, infideli, hæretico, insano & desperato, quæ sibi ipsi sufficiens me contemnit, sui ipsius amore confirmata.

Distinctio II.

Ecclesiæ & adversantium aut illam distrahentium contraria indoles magis illustratur, Abelis & Caini figuris clarius explicatis.

Proposuisti igitur argumentum, probatura, te ipsam non ab Abel sed à Cain assumsisse radicem. Noveris, te non recte argutiarum tractasse fundamenta. In Cain hoc cognosce, qui prior natus est homo pessimus, quam Abel justus. Quia in Adam totius humani generis massa jure damnata est. Et quando aliquis ex ea nascitur vas in honorem, hoc non pervenit ex natura, sed ex mei vocantis misericordia.

Ecce quam dispar duorum fratrum vita fuerit, unus pessimus, videlicet *Cain*, alter optimus, scilicet *Abel*. In Cain, adverte, sævire cœpit in sanctos reproborum malitia.

In Abel vero proficere cœpit *sanctorum vita & patientia*. Abel namque vir sanctus & simplex, in pastu ovium occupatus, de pecoribus gregis gratum Deo obtulit holocaustum. Persecutionem

Abel patientiæ imago.

nem fratris patienter sustinuit, non ob aliud, nisi quod ille bonus erat & alter malus.

Unde & *in Abele* passionis meæ figura præcessit. Atque in eodem, tu sponsa mihi dilectissima, tribulari & pati cœpisti, quæ in unoquoque justo passiones tribulationesve pati non desistis, & usque in finem mundi patieris. Cain ergo Abel persequitur, quandocunque tu in tuis membris affligeris aut tribularis. Nam tu passionibus dedita es atque subjecta, ita, ut te Cain malitia semper insequatur. *Abel esse renuit, in quem Cain malitiam non exercet.* Quapropter bene ipsum Cain raptorem & avarum & destructorem nominasti. Hinc est, quod in tota prole Cain & Abel multi mali & multi boni inveniantur.

Cain persecutorũ avus.

Proles Abel spiritualis est, qui secundum carnem prolem non habuit. Unde & in principio seminationis fidei meæ tyranni Reges sanguinem martyrum diabolico furore fuderunt, idola vana colentes. Ad quorum cultum ipsos sanctos multis flagellis incitarunt.

Unde, *quot* pertuleris *persecutiones*, recensere nimis esset longum, cum fuerint multæ. Computantur tamen XII à quibusdam, ab aliis X. secundum X Ægypti plagas. *Primam* computant à Nerone, *secundam* à Domitiano, à Trajano *tertiam*, *quartam* ab Antonino, à Severo *quintam*, *sextam* à Maximino, à Decio *septimam*, *octavam* à Valeriano, ab Aureliano *nonam*, *decimam* à Diocletiano.

Persecutiones Ecclesiæ.

Sed revera plures fuerunt. Nam & illa persecutio computanda est, qua cruci affixus sum. Hinc & ante tempora Neronis tu passa es tribulationes multas. Nam & tunc *Stephanus lapidatus* est, frater Johannis *Jacobus* gladio vitam finivit. Apostolus etiam *Petrus*, ut occideretur, incarceratus est, & cætera multa, quæ omnia enumerare longum esset. Nonne & *Julianum* te persecutum tyrannide pessima certissimum est? Posterius etiam *Valens*, Valentiniani frater, Arrianus, per orientis partes magna persecutione vastavit te sponsam meam. Ex qua re non æstimo definiendum numerum persecutionum tuarum, quibus te exerceri oportet.

Christus crucifixus.

Stephanus. Jacobus, Cæsi. Petrus, tortus. Julianus.

Valens. persecutorũ.

Persecutionum non est numerus.

Amplius, quot & quantos diabolus moverit *hæreticos*, qui sub Christiano vocabulo tibi resisterent, quot etiam pestifera atq; mortifera evomuerit dogmata, mundũ noscitur per universum.

Hæretici.

Fuisti igitur *à Cain* continua, ut tribulationes patereris per filios ejus, ex illa pessima radice succedentes. Sed *in Abel* innocens & patiens ab hostibus multis afflicta semper extitisti. Et illos inter filios multos reformasti viros sanctos, bonos & justos.

Sed quod in contrarium adduxisti veritatis testem, qui ait: *Omnes declinaverunt, similiter inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum:* Hoc verissime de filiis hominum dictum est. Unde ut allegasti, dixit Propheta: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, an sit intelligens, aut requirens Deum.* Sacra pagina testis est, quod filii hominum peccatores declamantur, dicente scriptura: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ &c.* Et revera illa est linea peccatorum à Cain descendentium, qui natura inutiles facti sunt, & ex eis non erat qui faceret bonum, nisi gratia mea corda illorum illuminante, ut, quod negavit natura, conferret gratia. *Natura* igitur omnes declinaverunt, & non est usque ad unum, qui bonum faciat.

Naturâ omnes corrupti.

Multi tamen sunt atque fuerunt filii Dei, quos non natura, sed *gratia* bonos fecit. Nemo enim bonus nisi solus Deus. Primum dat natura, quod nemo bonus ex indita natura sua: Sed quod sint multi boni, confert hoc gratia mea. Secundum verò non humanæ, sed divinæ naturæ proprium est, esse videlicet ex se bonum quoddam, non simplex bonum sed infinitum atque interminum, dans omni creato, quod continet bonitatis.

Gratiâ Dei supersunt boni.

Ex his igitur me tibi respondisse noverim ad id, quod primo proponere tanta diligentia studuisti. *Non est enim malum, pati malum: Sed malum facere, peccato carere non potest.*

Quid malum?

Omnes

Omnes ergo, qui me persequuntur, ex radice illa pessimi Cain processere. Cujus ut progenies à facie tolleretur altissimi, tota ejus soboles in diluvio est absorpta.

Et qui persecutiones propter justitiam patiuntur, ex optimi & innocentis viri Abel, virginis, primi martyris & sacerdotis progenie genus spiritualiter contraxerunt.

DISTINCTIO III.

Ecclesiam manere Christi Ecclesiam, etiamsi nullus existat Papa, demonstratur: Imo nec duos vel tres Papas simul existentes obstare, quo minus Ecclesia maneat Christi Ecclesia. Papam posse vel sponte Papatu cedere vel removeri.

NOsse te, velim, me ad hoc nisibus elaborare totis, ut tuis postquam satisfecero argumentis, etiam rei, quam intendis, satagere sufficiam. Perpendo namque, te notasse periculosum hoc & *flebile schisma*, quod *temporibus jam multis* elapsis me sponsum tuum, teque sponsam mihi dilectissimam maculavit. Unde te æstimo scire, sed si nescieris, te non ignoraturam exopto, si aliquando casus emerserit, me in hoc militanti regno, in quo mihi te sponsam prælegi, *non habere vicarium*, vel ex tui persecutione, seu alio quocunque modo ejus affuerit carentia, ob hoc te non esse non sponsam meam dilectissimam, cui fidelissime adhæreo, & semper inhærebo. Sicuti contigit sub iniquorum hominum persecutione tyrannica, *Diocletiani* videlicet & *Maximiani*.

Ecclesia potest carere Pontifice.

Diocletiani crudelitas.

Hujus namque *Diocletiani* imperii anno XIX, dum tu prosperis incrementis per orbem terrarum ubique fuisses dilatata, propositum est edictum, ut cunctæ, quæ in orbe erant Ecclesiæ usque ad solum dissiparentur, & Sacræ Scripturæ ubique igni tradereutur, omnesque, qui Ecclesiis præerant, in vinculis ponerentur, ac demum exquisitis suppliciis immolare cogerentur. Rapiebantur enim omnes Ecclesiarum principes, & sancti clerici, nec non cum eis nobiles & ignobiles multi. Brevi etiam post tempore fœminæ & pueri, ita ut præ compeditorum multitudine carceres æstuarent. Hujus enim tempore tanta invaluit dira & crudelis persecutio, ut intra XXX dies XVII millia hominum, promiscui sexus per diversas provincias martyrio coronarentur. Ea tempestate sedit *Marcellinus Papa* Romæ, natione *Romanus*, qui annis octo rexit Ecclesiam. Qui ductus, ut sacrificaret idolis, thurificavit, ne moreretur in corpore. Sed ne corpore moreretur, eum *metus* corporalis occidit in anima. Sed post paucos dies pœnitentia ductus, anima reviviscente, capite truncatus est. Post cujus martyrium *cessavit pontificatus annos septem*, menses sex & dies viginti quinque, *Diocletiano* Christianos persequente.

Marcellinus Papa.

Pontificatus cessavit.

Ecce, audisti, *vacasse sedem* vicarii mei. Audisti, te vacasse pastore tuo, o dulcissima sponsa. Audisti tunc *nullum fuisse, qui locum Petri tenens* in beata Petri sede resideret. Neque imaginari te volo, illo te tempore eodemq; momento meam non fuisse sponsam, meque tuum non extitisse sponsum. Nam & beata *Petri cathedra plerumque*, prout nosti, *pastore vacavit*. Imo & ipsa eadem, quam & sponsam meam nomino, quæ tu ipsa es, quam Ecclesiam voco, sponsa mea, sæpissime vacasti, nec propter hoc quisquam autumet, te non mansisse sponsam meam. Sufficeret namque unus justus, etsi omnes cæteri essent hæretici, ut & ego sponsus tuus semper & essem & remanerem. Et jam olim in mea matre benedicta fides tota remanserat, cum discipuli mei omnes à te recessissent. Jam etiam, à tempore, quo *BALTHASAR*, qui fuit *JOHANNES XXIII*, & *GREGORIUS XII.* *resignarunt*, tu remansisti unica & una sponsa mea.

Vacante sede Ecclesia manet Ecclesia.

Pontifices resignarunt in Concilio Const.

Non igitur sponsum perdidisti, si mei ex parte vicarium, id est, *Papam*

non habeat, qui administranda administret, & reliqua, quæ ad ipsum facienda pertinent, exequatur.

Duo vel tres Pontifices Ecclesiæ unitati non obstant.

Ex eodem cognosce fundamento, si *duo* fuerint *aut tres summi Apostolatus culmine fungentes*, te ob eorum pertinaciam aut præsumtionem non esse biviram aut triviram reputandam. Non, inquam, illi sunt sponsi tui censendi, cum ego solus & unicus sim ille, cui tu nupsisti, inseparabiliter mihi fidem servando, & ego eandem tibi integerrime reservabo. Vicarius namque unus constituitur; qui non puri hominis, sed mei, qui verus Deus sum, vicem gerit in terris, cui autoritatem non humanam, sed divinam contuli ligandi atque solvendi omnia, quæ in cœlis aut in terris sunt. In quo quidem vicario meo plenitudo potestatis tuæ ita residet, ut etiam ipse possit à tuo matrimonio separari, & tu poteris eidem libellum dare repudii, quem ego tibi aut tu mihi dare non valebis ullo modo.

Christus solus caput Ecclesiæ.

Pontifex potest abesse aut removeri, aut resignare.

Poterit enim *Papa resignare* summo pontificio. Nam *Cælestinus* resignavit. *Potest deponi*; potest degradari. Sicuti nostris jam contigit temporibus, ut inferius plenius ostendetur. Neque plures vicarios habere quam unum debeo, qui Petrum Apostolorum principem solum & unicum constitui super plebem meam. Cum vero plures fuerint, scito evidentissime, te divisam. Nec ob hoc bigamus aut trigamus a te volo nuncupari, cum tu sis sola & unica, quam ego duxi, neque tu alicui præter me inseparabiliter nupsisti, sed alii, etsi tres aut quatuor fuerint, à te potuerunt separari, aut per resignationem, aut alio modo, qui per eos, quorum interest, canonice & juste poterit inveniri.

Cælestinus Papa.

Christo soli nupsit Ecclesia.

DISTINCTIO IV.

Ecclesiam esse & manere Christi Ecclesiam, etiamsi nullus Papa existat, confirmatur!

Inter tres Pontifices quis verus dubium.

QVæris etiam inter alia, quæ pars sit, sponsa, tua, aut JOHANNIS, aut unius alterius, vel duorum, aut omnium, aut quis eorum meus sit verus Vicarius. Nunc tibi respondendum censeo. Secretum namque tibi nunc est, nec explanabo, scies autem postea. *Romanam* tamen *sedem* cæteris nolo quod ambigas *præponendam.*

Conjectura difficiles.

Paschasius.

Est igitur, ut exemplum capias, non leve quid, de hujusmodi re grandi aliquid *conjectare.* Nonne legisti, *Paschasium*, miræ sanctitatis virum, in purgatorio gravissime punitum, quod parti Laurentii in summum Pontificem electi consensit, quem Symmacho prætulit, quem tamen Ecclesia summum decrevit Pontificem. *Tacendum* igitur ad hoc puto *securius, quam aliquid inconsulte definire.*

Tacere securius.

Sed certissime scias, ut etiam superius declaravi, *universitatem sanctorum fidelium, & justorum virorum atque fœminarum sancte viventium, verissime esse sponsam meam: Dato, quod nullus sit vicarius meus hic in terris.* A qua quidem universitate sanctorum separari non potero, nec eidem libellum repudii dare possum. Quapropter his breviter pertransitis ad alia properabo responsurus.

Ecclesia absque Pontifice.

DISTINCTIO V.

Publicorum illorum in Ecclesia malorum causæ commemorantur. Justo Dei judicio, ob Præsidum quoque Ecclesiæ peccata, plebem unà cum Magnatibus disidiis illis publicis jactari.

Causa malorum quærenda

SEd cum ista ad præsens reliquero indiscussa, venio ad id, quod subjunxisti, petens, qua de causa te tam dilectam jam dudum & usq; ad tempus, quod nunc præsto est, permiserim lacerari. Cur tunicam inconsutilem scindi perpetiar, quam dividi non volebam. *Cur* corpus meum *à corruptio-*

ruptione atque seductione non præservaverim?

Convulsio Ecclesiæ ante Concilium Const.

Revera quæstio hæc magna est. *Scissura* enim, ut tu objecisti, clarissima est, quam neque ego negare volo, cum me cernente atque perspiciente ista facta sint, tanto etiam tempore prorogata, ut ab initio mundi tum dira tamque diuturna inter nostros non fuerit *divisio*, quæ tanto jam tempore invaluit, ut finem tu desperes execrabile hoc *schisma* aliquando habiturum.

Causæ multæ.

Volo igitur tibi aliquas subjungere *causas*, quare hoc flebile luctuosumque *schisma* tibi sit immissum, *toti Christianitati perniciosum*, multarumque animarum damnativum. Veritati igitur studens, similiter & brevitati, quæ ad præsens occurrunt, edisseram *causas*, & ut ipsas humiliter attendas, & gratanter suscipias, cordialiter te exoro.

Peccata Regum. Davidis.

Nosti namque, non modo currenti tempore, sed & prioribus momentis, priscisve lapsis ævis, aliquando *populum propter eorum Regem flagellatum.*

Ut propter David Regis peccatum Angelus multos cædebat homines, donec Rex ipse misericordiam meam implorans lamentabiliter mihi supplicando diceret: *Converte oro, Domine, gladium furoremq; tuum contra me. Populus enim iste quid fecit? Non perpetrarunt oves istæ peccatum aliquod, propter quod tam dira sustineret flagella. Ego*, inquit *sum, qui peccavi, vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei, qui peccavi peccato magno. Superbia enim me servum tuum contra te erexit.* Et post multorum millium plagam quievi percutere, & placatus sum, misertus afflictionis populi tam graviter occidendi.

Principum. Episcoporum.

Et tu quid miraris, quid multum anxiaris, quidve turbaris, si propter sceleratos *principes*, tam *spirituales*, quam temporales, iram meam in orbem transfudi terrarum, ut non tantum vulgus vario pollutum errore, multisque facinoribus subditum, decrescente omnium charitate, ferierim, & feriam, sed etiam principes & prælatos eorum una cum illis communi plaga percutiam atque percusserim. Populus revera ille David Regis, quod peccaverit Rex ipse, ignorabat. Sed populus meus iste, tuusque mundum sparsus per universum, quantis malis, quot criminibus, quot sceleribus implicatus sit, neminem puto nescire, nisi qui ab hac vita semper exulavit, vel ad inferos descendens, vel visens jam cœlica regna.

Achior.

Legisse etiam te non dubito, quomodo *propter peccatum Achior filii Coræ* plebs *Israelitica* in manibus hostium tradita sit, qui tamen ab illo illius peccato immunis erat. Amplius & puniuntur animalia rationis expertia. Ut propter peccata *Amalechitarum*, animalia eorum à Saule mandata sunt occidenda. Peccato etiam *Ægyptiorum* possessiones insensibiles grandini traditæ sunt, & primogenita atque jumenta morte consumta sunt. Unde claret non solum irrationalia sed etiam insensibilia, quæ à peccato sunt immunia, aliorum luisse scelera atque sublevasse peccata.

Amalekitanum. Ægyptiorum.

Inferiorum.

Cæterum *propter peccata minorum* etiam *majores puniti* sunt. Nam propter *Israëlitarum* peccatum arca Domini Philistæis tradita est. Similiter & Prophetæ.

Prælatorum.

Peccata etiam *prælatorum* flagellata legimus, cum suos, quos deberent, non corripiunt subditos. Unde eo modo propter *peccata filiorum Eli* populus corruit in manus Philistinorum. Nam revera pro meritis prælatorum depravatur vita subditorum.

Eli.

Pœnæ variæ.

Et sic nunc *propter peccata prælatorum*, nunc *subditorum delicta*, prælati simul & subditi puniuntur. Nunc puniuntur, qui puniri meruerunt; Nunc puniuntur etiam, qui puniri non meruerunt. Ut communitas propter unius delictum excommunicatione percellitur, quæ tamen nec auxilium, nec consilium dedit causæ, propter quam omnes puniuntur. Sunt etiam *parvuli Sodomorum* puniti cum parentibus, qui tamen peccare non valuerunt. Item punitur & *justus pro injusto*, ut patet XXIV. *q.* 1. *Non turbatur.* Nam *non turbatur navis quæ Petrum habet, turbatur quæ Judam habet.* Legimus enim *Marc. IV.* quod ante Domini passionem, cum discipuli essent in navi, fa-

Insontes etiam plectuntur.

ctus

ctus est motus magnus & ventus eis erat contrarius: Et hoc propter Judam injustum factum est. Sed post Domini passionem Petrus fuit in navi, sed non legitur navis turbata, in qua fuit Petrus sine Juda.

Cain & Judas semper in Ecclesia.

Ex quibus colligitur, te, sponsam meam, turbandam fore, cum in te *Judas*, qui de semine *Cain* secundum malitiam fuit ortus, semper extiterit, usq; ad extremum illud tempus, quo se, qui te infestat, impiissimus Judas laqueo suspendat.

Puniuntur etiam *injusti propter Justum.* Ut Maria propter Mosen.

Puniuntur etiam quidem *graviter & subito*, propter peccati detestationem. Ut *Anastasius* Papa, qui fuit tempore *Theoderici Regis.* Eo tempore clerici multi se ab ipsius communione semoverunt, eò quod communicasset sine consilio Episcoporum vel presbyterorum & clericorum cunctæ Ecclesiæ Diacono *Photino*, qui comunicaverat *Achatio*, per Ecclesiam damnato. Et quod voluit occulte revocare Achatium, divino nutu percussus est. Nam dum ad naturæ secreta secederet, miserabiliter mortuus est, egerendo intestina.

Anastasius Papa.

mulctatur.

Sic pecunia Judæ cum Juda damnata est, cui dictum est: *Pecunia tua sit tecum in perditionem*: Et bene ille *Judas* dicitur, qui per *Simoniam* Spiritum sanctum emere voluit, sicut Judas pro pecunia vendidit Christum.

Simoniacus est Judas.

Multis ergo modis peccata vindicantur, ut ex præfatis clarum est. Tu igitur, dulcissima sponsa, plerisque causis prænarratis affligeris. Nunc propter peccata principum, nunc propter delicta populi, nunc propter utriusq; fere facta, nunc justa pro injustis percuteris: Nunc propter peccati detestationem percelleris, variis tuorum pœnis subdita & consumta. Verissima res est, te non peccasse, cum sis sancta & immaculata, sed filii tui deliquerunt peccatis gravibus & enormibus: sed tu luis peccata quæ non meruisti. Et quanquam de hac re infinita conjicere possem, subticeo tamen, experientiæ tribuens hæc probanda.

DISTINCTIO VI.

Alia & proximior causa infandarum illarum in Ecclesia turbarum & diri in Ecclesia schismatis notatur. Plebis Romanæ, Pontificis electionem sibi arrogantis, & Italum aut Romanum poscentis, tumultus & furor, ut & demagogorum fraudes ac doli, qui plebi succenturiarentur. Recensetur q, tota schismatis historia usque ad Johannem XXIII. breviter.

Alia malorum causa ante Concil. Const.

SUpereſt post prædictas jam & annotatas *causas*, *aliam*, ipsi rei magis propinquam assignare. *Insanus* enim *populus versus in furiam & insaniam abuticur ratione*, atque tota humanitatis natura sejecta, *in bestialem feritatem transformatur*: Qui *nec prece nec pretio quietari* poterit, nisi vel *violentia victus*, vel voluntatis suæ *impetu nefando pacatus.*

Plebis furor.

Ob quem turbatus frequentissime iram meam in filios hominum disseminavi, cum, me postposito, semoto atque contemto, suum sine me *nefarium atque perniciosum consilium* complevere.

Consilia plebis perniciosa.

Quale priscis moliti sunt annis, cum me irrequisito & sine me, non per me, Regem potierunt, & principem eis instituí postularunt, sed non per consilium meum. Et datus est eis Rex, non, inquam, bonus, sed malus ille *Saul*, qui satis bonis initiis pessimum finem habuit, ascendens de tribus Cain, factus mihi inobediens, secutus patrem suum Cain, cum quo & in flammivoma ignis rota rotatur in æternum.

Judaici populi desiderium.

Saul rex malus.

Ecce, sponsa charissima, hæc vox erat *perstrepentis populi*, Regem poscentis à Samuele, viro sancto & Propheta: *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut diversæ habent nationes.*

Locutus est autem *Samuel* omnia verba hæc in ore Domini. Et ait Dominus: *Audi vocem populi, in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, juxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de terra*

Dei de plebis voto sententia.

terra Ægypti usque in diem hanc. Nunc ergo audi vocem eorum. Veruntamen prædic eis jus regium, qui regnaturus est super eos.

Jus regium.

Et ait ad *populum* Samuel: *Hoc erit jus Regis, qui imperabit vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciet-que sibi equites, & cursores quadrigarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum; filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias & panificas. Agros quoque vestros & vineas, & olivera optima tollet & dabit servis suis: sed & segetes vestras, & vinearum reditus decimabit, ut det eunuchis & famulis suis. Servos etiam vestros & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros decimabit. Vosque eritis ei servi, & clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis, & non exaudiet vos Dominus in die illa.*

Noluit autem *populus* audire vocem Samuelis, sed dixerunt: *Nequaquam. Rex erit super nos, & erimus nos sicut alia gentes, & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.*

Et constituit eis Samuel *Regem*, & venerunt hæc omnia super eos mala. Prædicta secundum historiam recitata sunt. Et adjicitur, quod *Saul* factus fuerit Rex eorum, de quo præfatus sum, cui cæteri Reges Israel succedentes etiam mali fuerunt.

Populus Romanus Judaica plebi similis.

Hæc igitur ad nostrum applicando propositum: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Nimirum, non fabulam, sed rem gestam, atque verissime scriptis & literis commendatam, brevius, quo potero, edisseram. Ut pateat, quare me quodammodo subtraxerim, & tam flebile *schismatis* virus, me non impediente, in te, sponsa mea, latescat.

Pontifex electus invito Deo

Nam *revera elegerunt vicarium meum, sed sine me. Factus est Petri successor, sed non secundum consilium meum.* Qui eligere debebant, *electionis jure spoliati* fuere. Et qui non debebant eligere, *electioni se intromiserunt.*

Electores incongrui.

Summum sibi *ineptum vulgus* Pontificem acclamabat. *Constituite nobis*, inquit plebs Romana, *Romanum Pontificem, vel saltem Italicum*, qui nos regat, qui nobis de nostris præficiatur, & gentem nostram judicet, *vel timore mortis succumbetis, si non elegeritis*, quem nos acclamamus eligendum.

Plebs Romana electionem Pontificis sibi arrogat.

Et *hoc modo summus Pontifex fuit electus*, in quo istud execrabile schisma cœpit, ut immediate subjungam.

Gregorio XI. defunctus.

Mortuo enim felicis recordationis Domino *Gregorio XI.* vicario meo, cujus mors erat *anno* à nativitate mea *millesimo, trecentesimo, septuagesimo octavo, die 27. mensis Martii, Officiales urbis Romæ* diversa in Capitolio celebravere consilia. Inter quæ concluserunt, *ut Domini Cardinales Romanum vel saltem Italicum eligerent summum Pontificem.* Nam alias formidabant, curiam in Italia non mansuram.

Officialium urbis Romæ consilia.

Bartholomæi Barensis calliditas.

Huic consilio interfuit BARTHOLOMÆUS, *ArchiEpiscopus Barensis*, prout proprio confessus est ore. Qui & se ante conclavis introitum Bandarensibus commendavit. Egerunt etiam iidem *officiales*, ut custodiam portarum & pontium eorum familiares clauderent, ne electores modum haberent recedendi. Pendentibus etiam diebus X. qui à morte præfati Gregorii effluxerant, prædictæ urbis *officiales*, assumto civium numero non modico, *Romanum* Pontificem, vel saltem *Italicum* postularunt: ipsos Cardinales maximis subesse damnis, & periculis irremediabilibus, proclamantes, si non facerent ea, ad quæ hortabantur. Sicque factum est, ut etiam *minas* ad domos Cardinalium intimarent, si non perficerent, quæ poscebantur.

Officialium Romanorum desiderium.

Minæ.

Expulsis igitur *nobilibus Romanis*, per sæpe dictæ urbis officiales, ut breviter loquar, cum consensu multorum Prælatorum effectum est, ut omnia urbis capita adjunctis civibus convenirent, conclave intraturi. Qui cum compesci non poterant, introire permissi sunt, non libere, sed metu suscepti. Qui, sic, ut præfertur, intromissi, *Romanum* vel saltem *Italicum* in Papam requirebant, & nisi hoc efficerent, antequam conclavi exirent,

Prælatorum Romanorum.

Plebs irruit in conclave.

electo-

electores starent in suarum periculo personarum. Et inposterum *magnis perstrepuere vocibus*, munientes palatium viris armatis, portamque illam, quæ directe sub conclavi fuerat, ictibus & strepitibus nocte tota commoverunt, lingua sua clamantes: *Romanum volumus, aut Italicum.* Et voces easdem de mane resumserunt. *Pulsatisque* postmodum *campanis*, præ populi tumultu, rumor pejor priore increbuit, cum prædicta proclamatione: *Romanum volumus aut Italicum.*

Strepitus & clamor plebis.

Campanæ pulsatæ.

Et tunc de *cardinalibus* quidam omnium ex parte & consensu votis eorum se velle satisfacere responderunt, nominantes prædictum Dominum *BARTHOLOMÆUM Barensem Archi Episcopum.* Eundem ergo eo modo elegerunt, ut verus esset *summus Pontifex*, mortis tamen timore in eorum animis permanente.

Cardinales plebi obtemperant.

Bartholomæus Barensis fit Pontifex.

Demum *officiales cum populo* conclave confregerunt magna cum violentia. Quod cum intrarent, cardinales in capellam secretam se retraxerunt. Cujus portam securibus in partes diruperunt; Introivitque populus armatus, vocibus perstrepens, ut prius, furibundis.

Fores conclavis perfringuntur.

Quod cernens unus ex Cardinalibus, *Dominum*, inquit, *Sancti Petri elegimus, qui nobis resistit. Hunc igitur ad consentiendum inducite.* Quem accipientes bina vice sed invitum posuerunt in cathedram.

Cardinalis S. Petri respuit Pontificatum.

Hic *Cardinalis Sancti Petri* tanquam vir sanctus maledictionem pro benedictione Romanis imprecans, ipsos ad dictum *Barensem* transmisit.

Et dum illi reverentiam, tanquam summo Pontifici consuetam, facere vellent, Cardinales palatium exiverunt, domos proprias pedites intrantes. Nonnulli vero, ad castrum sancti Angeli transformatis habitibus se transtulerunt. Aliqui vero urbe Romana exiverunt.

Cardinales fugiunt.

Bartholomæus Cardinales citat.

Bartholomæus igitur *Barensis* eo, quo præfatus sum, modo electus, cardinalibus, qui se in urbe reservaverant, mittebat, ut ad ipsum pro majoris periculi evitatione properarent. Illi vero noluerunt. Sed quasi de suis requisitionibus fastiditi, ad illos miserunt, qui in suis domibus remanserant. Qui ab eo & urbis officialibus postulati jam venerant ad palatium, unam schedulam manibus eorum subscriptam ferentes, per quam sex cardinalibus tunc cum eo in palatio existentibus potestatem *ipsum inthronisandi* commiserant.

Qui *Barensis* de hoc non contentus vocavit *Episcopum Cassanensem*, in hæc verba prorumpens: *Vade ad Bandarensem, dicendo, sibi nihil esse factum. Et ut ordinet, ut hi, qui in castro sunt, etiam ad palatium veniant, pro inthronisatione celebranda.*

compellit.

Hoc ergo modo requisiti sæpius, ne majori succumberent periculo, propter bona ipsorum jam dispersa, & castri munimina nimis infirma: Nam formidabant victus paucitatem, neque locum tutum, quem accedere poterant, noverant: Venerunt ad palatium, & eundem *Barensem* more solito *inthronisarunt.*

Cardinalium metus.

Bartholomæus inthronisatur.

Quod advertentes illi qui de urbe jam recesserant, reversi sunt, timentes, si tum non venissent, potuisse Romanos suspicari, ipsos hujusmodi electionem velle impugnare, & ea de causa à Romanis forsan occidendos, & ipsorum bona hinc inde dispersum iri. Horum igitur timore ducti, seu potius seducti, Romanam urbem accessere, ipsum Dominum *Bartholomæum coronantes.* Quippe ab eo tempore eundem *coronatum, ut Romanum Pontificem* meumque vicarium in omnibus tractaverunt.

Coronatur Pontifex.

Cardinales vero ultramontani de postfacto ipsum sæpius requirebant, ut de tuto ac securo loco eis provideret, in quo liberum haberent eligendi locum. Quibus paulatim *Ananiam* venientibus, pro consilio, prædictus *summus Pontifex* sine alicujus Cardinalis societate venit *Tyburtinum.* Ad quem locum eos sæpius evocavit, quasi prioribus & paribus eos vellet periculis implicare, ut ipsi Cardinales affirmant. Unde ipsi sic metu concussi, & timore perterriti, ipsum sic electum, sic introni-

Cardinales ultramontani solliciti. Novi Pontificis astutia.

tronisatum, sicque, ut præfertur, coronatum dimiserunt.

Clemens VII eligitur in Gallia.

Et in Francia *Clementem septimum* libere & canonice in civitate Fundana elegerunt. Quo mortuo *Clemente*, successit ei *Petrus de Luna*, quem *Benedictum* appellabant, adhuc vivens. De quo in processu aliqua latiora contingentia declarabo.

Petrus de Luna.

Urbanus VI.

Bonifacius IX.

Innocentius VII.

Gregorius XII.

Præfatus igitur *Barensis*, *Urbanus Sextus* nominatus est. Quo mortuo successit ei *Bonifacius IX*, cui *Innocentius VII*, qui mortuus est *anno* à nativitate mea *millesimo quadringentesimo sexto.*

Post hunc *Gregorius XII* in summum Pontificem sublimatur, qui *Angelus Corario* dicebatur, adhuc vivus. Qui die 30. mensis prædicti in summum Pontificem fuit electus.

Concilii Pisanum.

Alexander V.

Hic in *concilio Pisano* depositus fuit, absens tamen. Et in locum ejus *ALEXANDER quintus* surrogatur, qui fuit *Petrus de Candia.*

Tres Pontifices simul.

Et tunc crevit *schisma.* Nam eo tempore *tres* gesserunt se pro summis Pontificibus: Quorum unus in *Francia*, & duo alii erant in *Italia.* Quorum quilibet summus Pontifex dici & teneri exoptabat.

Johannes XXIII.

Qui *Alexander* cum diem clausisset extremum, electus est *Balthasar Cossa*, & appellatus est *Johannes XXIII*, cujus vita superstes est usque in diem hodiernum. Et de his sic nominatis summis Pontificibus totum istud volumen tractabit in processu.

Electio Pontificis perniciosior electione Saulis.

Ex quibus omnibus nuda claret veritate, hanc summi Pontificis acclamationem multo deteriorem atque perniciosiorem extitisse postulatione Regis à populo Judaico: Non modo ex parte *populi furentis*, qui hanc electionem voce furibunda conclamabant, & strepitibus favoribusque impiissimis prosequebantur, sed etiam exparte *doli*, per majores urbis, etiam prælatos, in hac electione commissi. Qui qualem modum procedendi servaverint breviter patet ex historia jam narrata.

Furor populi.

Fraudes Prælatorum.

Unde non immerito ego, quanquam misericors, quanquam benignissimus, iram meam diffundi super totum universum permisi, ob electorum malitiam, ob venenum schismatis tam periculosi, tamque scandalosi & infandi, ob iniquitatis filios, qui me tam graviter offenderunt. Cum non solum hoc sine me effecerint, sed contra consilium meum, & eadem contra meam perpetraverint voluntatem. Verum etiam *prælati* plerique, qui favoribus & consiliis, ut præfertur, cum populo institerunt, me magis turbaverunt, qui & gravius contra me peccaverunt.

Intempestiva electionis pœna.

Unde revera non mirandum, si *jus regium* eos etiam *ad vindictam* secutum est. Nam ut gravi eos in vindictam *jure* percellerem & *jugo*, qui hæc perpetrarunt, cum sua potestate non evaserunt impune.

Pontificis jugum.

Roma à Pontificibus pressa

Roma etenim quot & quantis subjecta fuerit traditionibus, cædibus, tributionibus, bellisve intestinis & punicis, norunt ipsi, referant & scribant iidem. Non dico ab alienis, non extraneis principibus, sed *ab eorum summis*, quos acclamabant, *Pontificibus, qui tanquam Reges virga ipsos ferrea non tantùm regebant, sed etiam tanquam vas figuli illos confringebant.* Et ut clarius edisseram, non modo jugulabant, decapitabant, in servitutē eos redigebant, vineas & segetes eorum sibi vendicabant, filios & filias sibi servos servasq; faciebant, verum etiam totam urbem Romanam servam sibi fecerunt, & servituti *tyrannice* subjecerunt.

Bonifacii IX. bella.

Longum est singula dinumerare, imò prolixum est valde solius *Bonifacii IX. bella* perstringere, ab eo quo ventum est tempore ad *Johannem XXIII*, qui *Balthasar* est. Cujus & gesta mundum noscunt per universum. *Qui quomodo Romanam subjecerint gentem, & virga eos ferrea correxerint*, noverunt illi, qui mala passi sunt. *Dicant ergo quibus placet: Mea interest de illa silere materia*, qui ad alia scripturus properabo.

Ecce, ô sponsa dulcissima, nonne anxiari, nonne turbari, nonne ira repleri ob hæc *impia* fere *facta* debeo? Qui tam perversis, qui se immiscuerunt electioni, sive dolo, sive iniquitate seductis, & certe magnis & parvis, prælatis & subditis, quos omnes & singulos

in præfatis novi reos, pœnam injeci. *Ut videant se sic puniri, quia suis malis meritis hæc omnia meruerunt.* Attente igitur te, ô sponsa dulcissima, advertere gestio, & te veritate adjuratam interrogo, an *tanti autores sceleris* pœnam pro injectione hujus perniciosi atque flebilis schismatis non meruerint? Non aliter te judico responsuram, nisi illos ea, quæ patiuntur, *supplicia meruisse.* Et videbis etiam *majores* suam quam meruere culpam *luituros* pœna graviori.

DISTINCTIO VII.

Distinctius recensentur publicorum malorum incrementa tempore schismatis, per longam Pontificum illorum seriem. Ambitio præsertim & Simonia illorum perstringuntur.

TU tamen misericordiæ atque clementiæ me commemoras largitorem dulcissimum. Mihi enim proprium est miserere semper, & parcere. Unde & devotissime flagitas, te, dudum ab amicis desolatam, & ab æmulis afflictam, liberari. Audio certe, neque te, quæ super me radicata es, firmissimam petram, deserere potero.

Pœna gravis. Aliud est enim percuti, & *sine relaxatione* puniri. Quo nimirum modo *Synagogam* verberavi percussione satis crudeli. De qua *Jeremias Propheta* ait ita: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli.* Et iterum *Propheta* hanc percussionem vocat *insanabilem.* Ait enim: *Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus.*

Sic percussi *Pharaonem* superbissimum Regem, quem postremo per famulum meum Moysen in mari rubro cum curribus & equitibus submersi. Sic *Herodem*, sic *Antiochum*, cæterosque Cain filios induratos flagellavi.

Pœna lenis. Aliud est puniri, *ut quis corrigatur*, & se peccasse cognoscat. Ita *David*, & *Manasses*, & *Maria Magdalena*, & plerique viri atque fœminæ peccaverunt, qui suam confitentes culpam misericordiam sunt consecuti. Ita etiam quondam plagis punivi *genus Hebraum*, nunc strage, nunc oppressione, nunc servitute, nunc eremi detentione annis pluribus. Nec tamen ipsum deserui desolatum.

Pœnarum divinarum finis. Verbero igitur, ut emendem delictum: Castigo peccantem, ut hominem salvem: Flagello delinquentem, ut sanem vulnera languentis. Tempus medicinæ prolongo, qui *tarde ad iram* provocor, ut gravius percutiam. Nam, ut ait *Ovidius*, quanquam

Quanto quis major, tanto placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit:

Tamen, ut ait *Valerius: Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, sed tarditatem sui gravitate compensat.*

Neque nunc festino, non accelero remedium adhibere, propter ipsius *criminis* inse, & delinquentium *quantitatem.* *Quadraginta* enim fere *annis* offensus fui per generationem istam pessimam, & noverunt, se gravissime peccasse. Sed diligentiam, quam debebant, non adhibuerunt pro *schismatis* pulsione. Et ideo increverunt super eos mala. Unde ingravata est contra ipsos ira mea tanto jam, ut præfatus sum, tempore.

Auxilii dilatio. *Disfidia longa.* *Pauci illa volunt componere.*

Hinc, nimirum, ut illi, qui hujus *schismatis* sunt *autores* & *fautores*, culpam tam enormem suam considerent, & peccatum suum cognoscant, horumque malorum omnium & singulorum cernant gravitatem, nec potui, nec volui præstare remedium, *donec mitteretur, qui mittendus fuerat, & veniret qui venturus erat, qui huic nefando finem imponeret schismati*, REX *ille* SERENISSIMUS, de quo in sequentibus mentio fiet specialis. Scriptum namque est: *Juxta quantitatem delicti erit plagarum modus.*

Sigismundi auxilium.

Cæterum expecto & respecto. Moramque facit, *ne subito miserim, qui mittendus erat*, ut in se puniantur, qui *malum* suis *exemplum subditis* præbuerunt: Et revera *subditi*, ut *rebelles*, atque *pertinaces*, conspectent, se ipsos in *malis*, quos elegere, *prælatis* manifeste publiceque castigari. Unde ait Scriptura: *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter populi perversitatem.*

Disfidiorum diuturnitas magnatum & subditorum pernicies ac pœna.

Puniuntur igitur *prælati*, *qui summa ambitione ad papatum aspiraverunt*, nec propter sanctam pacem Ecclesiæ dandam

Prælati ambitiosi.

dam *resignare* voluerunt, sed multo magis ad *schismatis* robur nutriendum quicquid facere valuerunt, effecerunt, ut inferius luce clarius ostendetur.

Non loquor de parvis aut mediocribus, sed de *maximis* & *sublimioribus*, qui tibi, ô sponsa, pacem obligarentur elargiri, & semper in oppositum laborarunt in affectu. Hi igitur, qui æmulatores extitere priorum malorum, & hujus horrendæ voraginis executores, nonne merito sunt puniendi? Nonne corrigendi? Nonne merita vindicta percellendi? Revera punientur & *maximi*, ut parvis detur exemplum majores non æmulandi. Luent illi, qui se non luituros sua putant scelera. Revelabitur in futurum, nunc occultum. In luce clarebunt omnia. Nam

Prælatorum pœna est plebis terror.

Sub nive quod tegitur, dum nix perit omne videtur.

Et tu proponis ulterius, me ulciscì nimis vindicative. Ad id per præcedentia satis esse responsum, arbitror. Sed tamen adhuc ad illud tibi censeo respondendum. Omnis, inquam, *pœna*, cum sit justa, & à me vel ab homine inflicta, *bona* reputatur, in peccati vindictam. Purgat enim *pœna temporaria*, quam merito *purgatoriam* nominamus, illa demta, quæ æterna esse comprobatur. Neque tantum facinus, in meam conspiratum injuriam, atque religionem tuam, ferre debebam impune, ne cæteri religionis tuæ adversarii paria aut majora facere conarentur, & omnes eodem gladio ferirentur, qui ejusdem culpæ conscii sunt.

Pœna temporalis purgatoria.

Amplius, *quid plangis peccati pœnam? Peccatum ipsum plangere est necesse.* Pœnam infligi gaudiosum. Tui meruerunt propter malum culpæ malum pœnæ sustinere. Æquum enim est & justum, ut, quia contra te atque me deliquerunt, pœnam, quam meruêre, sufferant. Nam & *Maria* Moysi soror, quæ transito mari rubro prima divinum carmen canere meruit, postea, quando peccavit contra fratrem suum Moysen, & quod mulierem duxerat Æthiopissam eum objurgavit, vel, si quæ alia fuit causa, leprâ maculata est, ut culpam pœna detergeret, & se ipsam recognoscens humiliaretur, pœniteret & resipisceret & exaudiretur, in statum pristinum revocata. Quod si hoc justo factum est judicio, propter unius fœminæ scissuram contra fratrem unicum: Nonne ergo iram meam meruerunt, qui corpus à capite, quantum in eis est, diviserunt, & te monstruosam effecerunt?

Peccatum deflendum, non pœna.

Sed forsan tu respondebis: Te non negaturam, reprobos puniendos, & illorum personas justo plectendas judicio. Sed quia tu, ô sponsa, hæc pateris, innocens, velles à *schismatis pernicie liberari.* Et responsio in promptu est, cum & ad ista superius responderim luculenter: Quod *etiam innocentia pro impietate percellitur.*

Et innocentia pro impietate plectitur.

Sed revera *singula hæc mala fiunt propter majores Ecclesiæ*, propter quorum *ambitionem* peccatum schismatis pœna factum est, & causa peccati. Unde ego permisi, ut propter *prælatorum* tuorum *peccata*, qui me contemserunt, *ambitione victi*, gravia crimina gravia secuta sint facinora.

Præfecti Ecclesiæ ambitiosi.

Nam omne peccatum, quod primo omittitur, peccatum est. Sed si cito non tegitur, justo Dei judicio obligatum, hominis mentem & in peccatum aliud cadere permittit: Ut, quod primo non studuit emendare, incipiat peccato adaugere peccatum in vindictâ.

Peccatũ morâ fit gravius.

Quia igitur *præsens flebile schisma* in principio non abolebatur, *peccatum* simul est, *& causa & pœna peccati*, quod inde ortum est. Ut excrescente cœcitate malitiæ, incrementa vitiorum facta sint supplicia peccatorum. Merito ergo, & ex justitia factum est, ut, quod repagula in initio posita non fuerunt, mala plura sint subsecuta. Unde Moyses: *Nondum*, inquit, *completa sunt peccata Amorræorum.* Et spiritus Sanctus per os David: *Appone iniquitatem super iniquitatem.* Et Johannes ait: *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Hinc etiam scriptum est: *Secundum duritiem autem tuam, & cor impœnitens thesaurisas tibi iram Dei.*

Peccatũ aliquando & causa & pœna peccati.

Videamus ergo brevissime, & intente speculemur, quomodo *præsens schisma* sit *peccatum.* Sed hoc quidem

clarum est. Sed quomodo *causa & pœna peccati?* Similiter ista ex præcedentibus patent. In principio, quo *Urbanus VI. Papa* creatus est, *incepit* ipsum *schisma.* Quo crescente crevelunt *simonia, avaritia, ambitio,* & cætera, ut tu nosti, ô sponsa dulcissima.

Schismatis Papalis initiũ et fructus.

Minus scelerata erat *ætas*, quæ duravit *ab Urbano usque ad Bonifacium. Mala* tamen erat. Quia & ille *non bonus* erat: Ut infra clarius apparebit.

Urbanus inurbanus.

Secunda ætas istius schismatis cœpit *sub Bonifacio.* Sed illa *pejor*, pravior, & nimis scelerata. Nam tunc, illius ætate, qua regnabat, floruit *avaritia* succrevit *Simonia*, & cætera mala, imo pessima. Sub eo mala initium fortitudinis suæ acceperunt.

Bonifacio non bono. Simonia incrementum.

Et post *in tertia ætate* invaluerunt ista mala, & quasi roborata audaciam assumserunt, & quæ *prius timore* facta fuerunt, *tunc deposita verecundia* non reputabantur peccata. Et *sub Innocentio* ista suam fixère radicem.

Innocentius haud innocens.

Quarta ætas cœpit *sub Gregorio.* Qui, quanquam *bonus* esset *homo*, mala tamen ante radicata flores produxerunt, & incepit increscere schisma. Quia in *Concilio Pisano* ipse depositus fuit, & *Alexander* surrogatus. Et factum est *schisma duplex* sub Romani Pontificis obedientia. Unde major error, major infamia, & major rumor accreverunt.

Gregorio erroris fomes.

Et *sub illis duobus* erat *ætas quinta*, sed pejor, imò crudelior. Quia revera bellum intestinum, quod Punico nocentius, esse consuevit.

Demum mortuo *Alexandro* cœpit *ætas sexta sub Johanne*, quæ *omnibus aliis pejor* facta est. Tunc flores produxerunt omnis iniquitatis, & malitiæ fructum. Ut per rei patet evidentiam, & tu optime nosti.

Johannes nefandus.

Ex quibus patet, quomodo in pœnam peccati peccatum est causa peccati: Et quia *schisma in principio non est diabolitum*, ideo hæc *mala omnia facta sunt præcedentium supplicia malorum*, & ex schismate hæc mala tanquam ex causa procreverunt.

Emendationis dilatio damnosa.

Non ergo schisma tolli poterit, donec impii corrigantur, qui illius causa sunt & extiterunt, & à statu suo vel coacti vel consentientes *deponantur*, aut per ipsorum *resignationem* voluntariam, aut *depositionem* eis etiam displicentem, ut episcopatum eorum alter accipiat, illis pro suis criminibus manifeste punitis, qui te sanctam & immaculatam publice scandalisaverunt, & infamia deformarunt.

Correctione opus. Deponendi autoritas malorum. Resignatio.

Nulla enim confert *justitia, ut obstinatis detur misericordia*, quam non merentur, & culpa illis remittatur, qui resipiscere aut pœnitere dedignantur. Sed revera remota causa removebitur & effectus.

Justitiæ obstinatorum non miseretur.

DISTINCTIO VIII.

***Publicam morum emendationem viam esse ad unionem, monetur. Premittitur illa ex* IMPERATORE SIGISMUNDO.** *Quadraginta annorum corruptio publica multis & appositis pingitur figuris. Meliorum ex Sigismundo fatorum auguria repetuntur.*

NOli ergo exasperari, o dulcissima sponsa, quæ me autumas ea percutere de causa, ut flagellis continue atque assidue verberare velim: Quæ magnis me pulsas clamoribus, ut misereri non dedigner eorum, qui contra me tam graviter deliquerunt, & justitias meas profanarunt. Polluerunt templum sanctum meum, ponentes te sanctam & immaculatam in pomorum custodiam. *Non* est, volo quod advertas, *misericordia insigne, indulgere peccantibus*, ut iniquitatem faciant: *Neque impii miserendum est, ut injustitiam facere discat.* Quinimo & *in hac parte misericordiæ dignitas est, tollere misericordiam* & auferre. Solum converti volentibus misericordia impertienda est, qui se peccasse pœnituerint, & de cætero peccare noluerint. Nec tamen impune transire debebunt, ne justitiæ derogetur.

Misericordia non est, indulgere peccantibus.

Quamdiu igitur *Prælati*, mundi hujus sum-

Prælatorum

tyrannis. summi rectores & tenebrarum harum regimen, quod tyrannice possident, observaverint, non est porta ad miserendum reserata. Qui *sola ducti ambitione se Prælatos ostendunt:* Ut *præsint non prosint:* Ut *marsupia impleant, animarum spreta salute: Ut vivant ut volunt, non ut debent:* Ut *libita* prosequantur, *non licita:* Omnibus scilicet inferioribus scandalum, & specula malorum, & totius Christianæ religionis macula existentes. Quibus aut *resignantibus* aut *depositis* rectum patebit iter ad tuam, o sponsa, *unionem* celebrandam.

Prælatorum studium.

Resignatio corũ. Depositio.

Sed, quod tu ipsa pro te, atque tua gente deprecari non desistis, quam misericordiam meam implorare proclamas, quæ mihi tibique fidelis inventa est, & nisibus totis ad nostram anhelat pacem: Te exaudiam una cum populo tuo meoque, *missurus tibi PRINCIPEM virum bonum, quem Inveni secundum cor meum*, cum cæteris multis, qui *pacem* tibi dabunt *exoptatam.* Nam quanquam filii tui dereliquerint legem meam, & justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint: Misericordiam tamen meam non dispergam ab *EO, quem tibi mittam*, propter sanctam religionem tuam. Et revera, quæ de labiis meis procedunt, non faciam irrita. Videbis enim, & mirabitur & dilatabit se cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo fidelium tuorum, & gentis tuæ fortitudo venerit tibi, qui omnes te *ad unitatem* priscis radicatam temporibus revocabunt.

Sigismundi Imper. auxilium

Et ut clarius intelligas, attentius solito paulisper advertas quæso. *Quadraginta annis* irritatus sum ab istis, qui se errasse noverunt. Sed non emendarunt, quod male gesserunt. Sed necesse est, ut finem accipiat prævaricatio. Quod non erit desolatio perpetua, sed præcise temporalis. Nam sicuti post plagam, qua percussi Hebræos, cessavit ira mea: Ita *post pœnam* & vindictam *placabilis ero* super iniquitate gentis tuæ.

Dies XL. Ezechielis. Et ecce hi *anni XL* dies illi sunt XL, de quibus *Ezechielis IV: Dormies super latus dexterum, & assumes iniquitatem domus Juda XL diebus.* Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Consumetur igitur iniquitas filiorum tuorum *XL annis*, & tunc finem accipiet peccatum.

Hi sunt anni iræ Dei, in quibus peccatoribus vindictam meam exhibui, de quibus *Numer. XXXII.* dicitur: *Iratus Dominus adversum Israel circumduxit eum per desertum XL annis, donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum, in conspectu Domini.* Isti sunt anni vindicativi, in quibus ultio mea manifesta claret propter iniquitatem filiorum tuorum. De his *Numer. XIV: Filii vestri vagi erunt in deserto annis XL, & portabunt fornicationem vestram, & scietis ultionem meam.* Vagi fuere filii hominum annis istis XL. boni cum malis, & quasi super terram profugi cum contentione magna, & receperunt iniquitatem præcedentium, qui ab hac vita decesserant. Fuerunt ergo vagi in verbis, vagi in moribus, isti *Romani*, illi *Francigenæ*, alii *maritimi.* Sed nunc in anno XL complebitur ultio mea, ut quilibet ad caulam veram & unicam revertatur.

Annis XL Israëlitarum in deserto.

Hi etiam nimirum sunt *dies illi XL*, in quibus super terram *pluit XL diebus*, ut punirem peccata hominum, parvulorum cum parentum peccatis. Et consumetur peccatum diebus XL. diem pro anno computando.

Dies XL. pluviæ.

Hi etiam anni possunt designari per *horas XL, quibus mortuus* fui. Nam revera *istis annis XL* quasi dormiens fui & soporatus. Sed *horâ XLI* quasi leo surrexi de sepulchro: Et nunc *in fine XL* annorum quasi ursa saliens, & leo fortissimus vigilabo, & exurgere te faciam, O sponsa dulcissima, ut de *uno capite* tibi provideam, cæteris & punitis & repulsis. Consumetur igitur tota malitia in *his annis XL*, & finem capiet prævaricatio & iniquitas universa.

Horâ XL mortis Christi.

Quippe isti *anni XL* includuntur *sex tribulationibus*, de quibus sanctus *Job* prophetavit, futuram tuam perspiciens tribulationem, & ejusdem post certa tempora absolutionem. Ait enim ad te clamans de me: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum*

Sex tribulationes.

malum. In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladii, a flagello linguæ absconderis, & bestiam terræ non formidabis, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi, & visitans spem tuam non peccabis, & scies, quam multiplex erit semen tuum, & progenies tua sicut herba terræ. Nonne etiam & tu ipsa ad quendam amicum tuum prorupisti in hæc verba: *Ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Post digna populi tui flagella te ipsam vir sacro imbutus spiritu consolatur, ne vesaniam aut desperationis laqueum cogaris incidere, cum tu timida doloris tui finem æstimaveris te non habituram.

Finis miseriarum.

Non enim, ut præfatus sum, erit desolatio ista perpetua, sed temporaria, non crudelis, sed punitiva, non horrenda, sed emendativa, non destructiva, sed futuræ seditionis præservativa. Hinc est, quod edoctus spiritu Prophetico ait ad te, dulcissima sponsa: *In sex tribulationibus liberabit te.* Sed quam Te? Te sponsam liberabit dilectam suam sponsus ille civis dulcissimus, candidus & rubicundus, & ex millibus electus. Ille, inquam, in sex tribulationibus liberabit te.

Ponitur hic numerus & finitus, cum talis omnis sit numerus, ut possit numerari. Adjicitur etiam tribulationis universitas, totiusque doloris tui congeries, quæ *numero* significatur *senario.* *Sex* enim numerus perfectus est, post quem non erit dolor amplius aut tristitia, neque tribulatio, neque luctus, quæ prima abierunt, & ideo in *sex tribulationibus*, quas supra *sex* commemoravi *ætates*, castigaberis, flagellaberis, corripieris, & vulneraberis, & in illis peccatum tuum delebitur, amputabitur & rescindetur. Noli igitur, dulcissima sponsa, anxiari in spiritu tuo, nec turbetur, neque formidet cor tuum.

Numerus senarius perfectus.

Sex dies creationis.

In *sex diebus* patrabam mundi opus omne, cœlum & terram, flumina, maria, volucres, pisces, hominemque, & cætera, quæ formanda fuerant, contexui cum ornatibus eorum, & cuncta perfecte condidi & distinxi. *Die* verò *septimo* requievi ab omni opere, quod perfeci. Sic & tu in *sex tribulationibus* liberaberis, ut tribulationum tuarum numerus in *senario* perficiatur, & in *septenario* requiescas tota pulchra & formosa.

Septimus quietis.

In *columna* præcedam te, & stabis firmata, super columnam firmiter radicatam. Nam sapientia ædificavit sibi domum, & excidit *columnas VII.* Istæ verò columnæ tuæ, ô sponsa, confirmatæ sunt. Unde per os David loquitur Spiritus Sanctus: *Ego confirmavi columnas ejus.* Sed quomodo columnæ istæ dicerentur excisæ & confirmatæ, nisi essent nobiles, insignes & fortes? Nobiles sunt, quia aureæ, insignes quod argenteæ, & fortes, quod ferreæ atque marmoreæ. Et tu eris, ô sponsa, ferrea. Unde Propheta Jeremias: *Dedi te in columnam ferream.* Nam sicut ferrum cætera metalla domat, sic & tu omnia mundi regna subjugabis. Tu es enim columna & fundamentum veritatis, secundum Apostolum ad Timotheum. Et qui tuus erit provisor, *rectorque religionis sanctæ, columna* erit firmissima ex auro fulvo, cujus bases erunt argenteæ, & erit *columna* marmorea stans firmissime, neque ad sinistram neque ad dextram declinans. Unde Johannes in Apocalypsi: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Quod si non vicerit, non erit columna.*

Columnæ, Ecclesiæ præsides.

Columna igitur erit in templo meo *futurus Pontifex*, qui triumphum in Ecclesia militante reportabit, victis hostibus religionis Christianæ, *columna* in quam aurea, *columna* argentea, *columna* ferrea, & *columna* marmorea. Talis eligetur *summus sacerdos*, qui non alia, quam talis *columna* statuetur.

Alludit ad Oddonem de Columna, Cardinalem in Constantiensi Concilio electum Pontificem.

Hic vero *re & nomine COLUMNA* erit, quem eligent summi Pontificis electores. Unde *Johannes in Apocalypsi* quasi illum digito monstrans ait: *Ponam te columnam in templo Dei mei.* Prophetia ista fallere non potest, cum Spiritus Sanctus ipsam sit elocutus. Tu ergo *COLUMNA, quicunque ille fueris*, in templo Dei *columna* firmaberis, ut pacem Ecclesiæ largiaris, schismatis veneno plenius extirpato.

Et sic in *sex tribulationibus* liberaberis,

ris, quia in *sex Pontificibus* vicariis meis finem accipiet prævaricatio, & peccati tui pœna finietur.

Dies septimus, quietis.

Sex enim *diebus*, ut scriptum est in *Exod. Operaberis, & in septimo ab omni cessabis opere.*

Annus septimus, libertatis.

Servus etiam emtitius *sex annis serviet* tibi, ut ibi dicit Scriptura, sed in *anno septimo* liber erit.

Ecce, *sex diebus est operandum*, & *septimo cessandum. Sex annis* est *serviendum*, & *in septimo* erit *libertas.* Sic ergo in sex tribulationibus liberabitur Ecclesia. Quia consumetur peccatum *sex ætatibus*, quas supra memoravi, quæ *sub sex Pontificibus* contigerunt. *Prima*, ut præfatus sum, erat *sub Urbano VI*, *secunda sub Bonifacio*, *tertia sub Innocentio*, *quarta sub Gregorio*, *quinta sub Alexandro*, *sexta sub Johanne.* In & sub quo hoc damnosum atque execrabile schisma finem habebit. Et *in septima* non continget te malum.

Ætates sex dissidii ante Concilii Const.

Dissensionis publicæ finis in Concilio Const.

Nimirum usque in finem mundi tribulationes patieris, quæ militas & pugnas: Sed non tanget te amplius *schismatis tam horribilis* atque scandalosi malum aut pernicies, quæ draconis versutias summa cum prudentia eradicabis.

Persecutiones pristinæ.

Ante tempora multa crudelis sæviebat *leo per persecutiones* manifestas aliarum gentium & infidelium populorum. Sed nunc victa leonis feritate, pugnat insidians *draco per hæreses & inventiones dissensionis in Ecclesia.* Sed quomodo leo rugiens superatus est, superabitur & draco dolosus.

Dissensiones novæ.

Subdit autem vir sanctus: *In fame*, inquit, *eruet te de morte, & in bello de manu gladii.* Sic igitur te redimam, ne morti succumbas, & ne submergaris, summa te diligentia custodio. Fuisti hinc usque *sicuti Jonas in ventre ceti.* Sed evomeris, antequam magnum emerserit ævum. Te ergo, ne occidaris, salvabo. Ne in bello, quo contra æmulos tuos dimicas, eorum interimaris gladio, meus te salvabit & defendet mucro. Semimortua recubas, sed totam te suscitabo vivam. Panis sancti esurie anxiaris, sed te ego ipse, ut refocilleris, pascam vitali cibo. Nonne *Eliæ* per me pane pastus est, qui se emori appetebat & optabat: Et te, quæ vivere gestis, non educabo? Absit. Nam & *Moysen* servum meum XL. diebus & noctibus sine corporali cibo potuque pavi, cœlesti eundem nutriens manna. Quomodo ergo te fame perire permittam? *Populumq;* cervicis durissimæ quam mirabiliter ipse paverim atque potaverim, ipsa non ignoras. Qui etiam me toties tamque graviter exacerbavit, ut etiam per eos cœlesti sumto edulio ira mea in ipsos descenderit atque desævierit. Quomodo ergo te, mihi amantissimam, dulcissimam atque gratissimam sponsam & amicam, derelinquam, te dimittam, tui obliviscar?

Imagines Ecclesiæ servatæ.

Jonas.

Elias.

Moses.

Populus Judaicus in deserto

Est, putas, possibile, ut dulcissimi partus sui mater oblivisci possit, quem tenerrime dilexerit, attrectaverit dulciter, atque dulcissimo complexata fuerit osculo, quem nec quidem uno momento absentem à sinu suo poterit sustinere? Sic & tui, ego tuus, cui tanquam fidelissimo dulcissimoque inniteris sponso tuo, oblivisci non valebo. Oblivioni quod tu me dare non deseris, te in præcordiorum intuitu meorum non proposuero in factis singulis & faciendis? Panem cœli, panemque Angelorum manducavit homo, & te pane cœlestis lætitiæ angelicique tripudii nonne satiabo? Ob cujus intimam mellifluamque dulcedinem & dilectionem nimiam, ut te esurientem saturarem, stelleo descendens e cœlo terrena petivi, & te famelicam Lucifero eripui, qui te in sua captam potentia inanem absque nutrimento deliquit. Absit à me, absit omnino. Absint & à te cogitationum hujuscemodi emolimenta, cum talia fingere etiam nefas reputem & ingratitudinis vitium, o dulcissima sponsa. In hac igitur exitiosa *fame* tua te à morte liberabo.

Et non modo ne defungaris esurie, auxilium compræstabo, sed etiam, uti præclarissimus vir ille ac sanctissimus Job ajebat: *Etiam in bello, de manu gladii eripiam te.* O quoties pro Hebræorum gente profana pugnavi, vincens atque triumphans, nunc in ignis, tunc in

Ecclesia bellis non extinguenda.

in nubis eos columna præcedens: Aliquando submersione necans eorum adversarios. Ut in Pharaonis plaga, quem strage numerosa atque terribili in mari rubro submersi. Interdum victoriâ per gladii scindentem aciem æmulos eorum cædens, mortiferæ subjeci pœnæ. Et tibi, quam præ synagoga elegi, auxilium putas impendere nolle? Infirmam opinaris, quam ad te gero, amicitiam? Sed eandem ut scias firmissimam, nosse te velim: *In necessitatis articulo amicitiæ firmitas patet.* Hanc, si placet, intueri te volo, & ab his recedes sermonibus, quos huc usque lacrymabiliter te panxisse novi. Te ergo de morte liberabo, & *in bello* pro te sic pugnabo, ut de tuis hostibus triumphes coronata.

Detractores in Ecclesia.

Hinc, ut vir idem sanctus effatus est, *à flagello linguæ absconderis.* Quia exprobrationes detrahentium atque obloquentium tibi obmutescere faciam, & convitia contumeliasque, quas evomuerunt pharetra dirissima, in eos, qui emiserunt, resilient, & verecundiam propriis sauciati sagittis patientur. Nec habebunt ultra contra te occasionem ullam, ut jacula venenatæ ejiciant linguæ, qui, etiamsi verba malitiæ proloqui vellent, subticere compellentur.

Hæretici.

Sequitur etiam: *Bestiam terræ non formidabis*, hoc est, *hæreticos*, qui tibi insidiati sunt, qui terram comedunt, terrena sapientes, te timebunt, & tu non formidabis eos. Per te namque in terræ pulverem justitiâ damnati convertentur. Insuper & tu ejicies eos à sede sancta tua, quod indigni sunt, ut in domo tua habitent, quos error & perfidia circumvallant.

Nec non & *bestiæ terræ erunt pacificæ tibi. Tyranni* nimirum bestiæ terræ sunt, qui bonos opprimunt, vasa facti iniquitatis. Hi erunt tibi pacifici, & pacis tuæ æmulatores, conversi de moribus malis ad tuam sanctitatem, cujus & erunt ignei defensores. Tunc namque visitans speciem tuam non peccabis. Pulchra enim eris in charitate filiorum tuorum, quæ tunc novo germine accrescet, & accendetur veluti clibanus ignis ardentis amor tuus, & universi te diligent & contra adversarios tuos defensabunt. *Tyranni.*

Erunt tunc filii tui pleni charitate, & *multiplicabitur semen tuum:* semen inquam Abel justi tunc adolebit, & erit pax super orbem universum, & subjicientur tibi Turci & Saraceni, & qui filii Cain fuerint, debellabuntur, & decident ore gladii.

Splendidum augurium de felicibus fatis Sigismundi Imper.

Capiet tibi filius tuus REX SIGISMUNDUS, *advocatus tuus* universalis, civitatem sanctam Hierosolymam, & multiplicabitur semen tuum nimis. Miraberis, & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo gentium. Erit progenies tua sicut herba terræ fructifera, & sicuti pratum floribus asperfum. Eris corona triumphalis, mortuos suscitans, surdos restaurans, leprosos mundans. Et tunc innumeras mihi sponso tuo grates reddes dulcissimo, & erit pax super omnia regna tua, & multiplicabitur imperium tuum in pace sempiterna.

Per hæc, quæ præfatus sum, ad omnia & singula per te mihi proposita æstimo me sufficienter respondisse. Si quid vero occurrerit tibi de cætero proponendum, in futurum librum reservato.

LIBER TERTIUS.

Sollicita Ecclesia de apto publicorum malorum remedio, de quo fere desperat, ob infandam morum corruptionem.

METRUM.

Ecclesia obsecrat Christum, qui malis medeatur.

DUlcia pulchrave verba canis, mi sponse venuste:
Florida lætaque dicta feris *solamine* plena:
Prospera sic & amœna paris sermone perito.
Mellea nam tua carmina clam me carpere noscas.
Daque modum, *jam solve nodum.* Dic, qualiter extet,
Tristis ovans, mœrensque parans se ad gaudia læta.
Tolle moras, quæ dando placas solamina verbi.
Cerno *malum vetus*, atque *novum*, quæ tollere cures.
Tollito *pessima scandala*, plurima, garrula vulgi.
Morbida pellito pocula, fundito pocula virus.
Vincula, si poteris, simul atque *pericula* pelle.
Pelle *timorem*, redde favorem, pellito *morbum*.
Sit medicina tuo formata per omnia sensu.
Sit fortis, dulcis, sit vivida, sitque serena.
Non poterit firma quercus radice locata
Absque labore gravi divelli seu lacerari.
Ecce, timor meus est, *non posse nefas spoliari*
Mundum, quo plenus ex omni parte probatur.

PROSA LIBRI TERTII.

Illustratur Ecclesiæ sollicitudo de apto malis publicis medendi remedio.

DISTINCTIO I.

De difficultate & periculis, malis istis publicis medendi & schisma tollendi, queritur Ecclesia.

COntradicere illis, quæ à te relata sunt, sponse mi dulcissime, non valeo; Cum & eadem super fundatissima sint radicata ratione.

Sed temporis tantarum misereor penuriarum, quo & ipsum peccatum finem capiat, & ego pristinum in statum revocata quieta atque secura servire tibi possim.

Et id quidem parum mihi est, ut *tantæ desolationis* intuear *finem.* Unde mihi, hujuscemodi attendenti, gravis accrescit doloris inopinati anxietas, cum videam *gravissimum* super me filiosque meos *jugum*, deprimens atque onerans totius statum universi. Et ô utinam advertere valerem, *quomodo* tot *schismata*, tantave scandala, infamiæ, ac rumores *possint aboleri.* Tu igi- igitur qui veritas es, promisisti jucundo carmine, hæc singula finem habitura.

Jugum Ecclesiæ ante Conc. Const.

Modus dissidiorũ componendorũ difficilis.

tura. Vis, ut credam sermonibus tuis. Certissime nosse te velim, verbis tuis adhibeo fidem, quæ te ipsum æstimo mentiri non posse, qui veritatis lumine radioso decoraris.

Deus potest dissidia publica componere.

Sed nescio multis præpedita mœroribus, divinum tuum penetrare consilium, *quo modo*, quibusve via atq; vi hæc fieri posse comprehendam. Novi, te posse omnia, & non esse impossibile apud te omne verbum, qui cœlos fundasti & terram formasti, cuncta palmo concludens. Sed celasti me, *quomodo* id, quod fiet, sit futurum.

Si venit plenitudo temporis, ut post vindictam misericordiæ recorderis, quæso, diligenter ex præcordiis meis auscultare digneris, quæ mihi *ad oppositum* fidem firmam faciunt, ne credam, nisi aut *maxima difficultate*, aut experientia manifestissima superatâ, me *pace atque unione* fruituram. Qua de causa infortunii mei querelas singulatim proponere studui, ut me tacente respondere non dedigneris ad ea, quæ edisserere jam inchoabo.

Difficulter dissensiones componuntur.

Distinctio II.

Immedicabile Simoniæ malum graphice depingitur.

INcreverunt in me mala, quorum non est numerus. Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre. Multiplicatæ sunt infirmitates meæ nimis, quia circumdederunt me mala pessima. Quæ, si potero, ad *numerum* reducam *octonarium*, ut sic saltem videatur, num *remedium* possit adhiberi.

Multa Ecclesiæ mala.

Primum igitur malum est *Simoniaca pravitas*. Est enim *Simonia* voluntas studiosa *emendi vel vendendi spirituale*, vel annexum spirituali. Vocatur etiam *hæresis*: Quod benedictio Simoniaci in maledictionem vertitur.

Simonia in Ecclesia regnum.

Habuit ortum in veteri lege à *Gehasi*, qui a Naaman a lepra mundato munera recepit. Unde dicuntur spiritualium venditores *Gehasitæ*.

Simoniaci Gehasitæ.

Simoniaci vero proprie à *Simone Mago* vocitantur, qui à principe Apostolorum Petro Spiritum Sanctum pecunia volebat emere.

Simoniaci à Simone Mago.

Et vocantur *Simoniaci*, *spiritualium emtores*, ut qui pro ordinibus sacris & beneficiis dant iniquitatis mammonam. Nuncupantur tamen communiter *Simoniaci*, sive *vendant*, sive *comparent* spirituale.

Spiritualia ementes & vendentes.

Hac impia hæresis, hac iniqua pravitas mundum intoxicavit universum. Quis est *clericus*, quis in ordine sacro, qui non sit *Simoniacus? Papa*, *Cardinales*, *Archiepiscopi* & *Episcopi*, omnes hac impia sunt *infecti* pravitate. *Omnes accipiunt munera*, pro temporali thesauro dantes spirituales divitias. O quot & quanta contra *Simoniam* scripserunt, ut ipsam abraderent! Sed nihil prodest scribere vel dicere, si non affuerit & efficere.

Omnes clerici Simoniaci ante Conc. Const.

Respiciamus comparationem. Inspicio *Synagogam*, quæ me multo melior est. Ecce, & adverte, mi sponse dulcissime. Illa *columbas vendebat in templo*, ut avaritiæ sacerdotes ejus intenderent, & divitiis replerentur. Sed filii mei *Prælati*, & *quanto majores, tanto deteriores*, *filium* te *Dei* verum, columbam sanctam, *spiritum* videlicet tuum *sanctum*, *sacramenta* tua, *beneficia*, *spiritualesque potestates*, *prece*, *pretio*, & *favoribus vendunt* inordinatis. Et revera tu ipse mensas numulariorum & columbas vendentium evertisti. Ecce, quomodo stabit regimen sponsæ tuæ in tam impio regno profundatum.

Simonia olim Inter Judæos.

Prælatorum Christianorũ quæ simonia?

Sunt igitur filii tui atque mei *Simoniaci* & *Gehasitæ*. Nam hi *vendunt*, isti *emunt*: Isti *advocant*, illi *procurant*: Illi sunt *sequestri*, illi *arbitri*: Isti *citatores*, illi *compositores*: Isti *auditores*, illi *exceptores*. Et quocunque censeri potuerint nomine, *Simones* sunt & *Gehasitæ*.

Simoniacorum classes.

Et ô mi sponse dulcissime, te gestio non latere: *Simonia peccatum non reputatur*. Vis forsan abnegare, & me compellere adducere *testes*. Certissime noveris, & infra rimaberis, oculata fide. Omnes *viros spirituales* refero vitio pravitatis hujus irretitos. Et forte autumas, *ecclesiasticas* in testimonium

Simonia peccatum non habetur.

um vocatas aut ducendas, nobiles atque notabiles *personas*, veritati nolle perhibere testimonium. Equidem *adsunt*. Etsi nollent assistere, rapiantur in medium, ut sic saltem veritate victi veritatem edisserant, velint nolint.

Commune Episcoporum malũ Simonia.

Congregetur atque glomeretur in unum tot *spiritualium turba Pontificum*. qui cæteros dignitate, & ô utinam sic & sanctitate, præcellunt. Hi *omnes & singuli Simoniacæ prævitatis vitio sunt involuti*.

Monachi Simoniaei.

Neque excipio *monachos* aut *religiosos*, *mendicantes* aut *non mendicantes*. Mundus ipse novit totus, etiam & istos huic pessimæ subjectos iniquitati. Ad cujus experientiam ipsa testis sit *experientia*, fide digna, pro testimonio invocata.

Vah! quomodo destruitur regnum meum! Eheu quali impietate mei promoventur! Et ô proh dolor, quomodo meum stabit imperium, quod in se tot tantisve dissectum est discriminibus, & tot scandalis irretitum! Vellem, si proficerem, mei ipsius *plura* proponere *scandala*, sed ea de causa, *ut emendentur* singula. Conqueror tibi, ô mi sponse, defero querelas, sed contra me ego me ipsam accuso, etsi Judæi aut Turci aut Saraceni me non incusant de facinoris mei pravitate. Ego scelere major, crimine famosior, & in iniquitate sum deterior.

Christiani Judæis deteriores.

Synagoga, juxta illud contemplantis *Ezechielis* verbum, quo questus est: *Soror*, inquit, *mea Samaria*, id est, Synagoga, *dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eam sceleribus tuis*. Ecce, hæc de me dicta sunt, & verissime in me reperta sunt facti evidentia. Nec video proportionem iniquitatis meæ, quin major emineat ad ipsam Judæorum sectam comparata. Qua ex re *idem* sanctus *Propheta* inferius subjicit in mei detestationem peccati, ita dicens: *Plus insanivit libidine, & fornicationem suam præbuit imprudenter divitibus, & magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia*. En piaculi mei libidinem atque fornicationem adulteram, quam *Pontificibus* meis quasi fornicaria tradidi, qui omni sanctitate tanquam impii sunt abusi. *Vestis varia* impia est *Simonia*, quâ ad & super modum multipliciter omnes filii mei *majores*, tam *spirituales* quam *temporales*, quasi diploide sunt vestiti.

Quanta sit hujus sceleris immanitas, quantave perversitas, in sequenti notabiliter monstratur exemplo. *Henricus Imperator tertius*, tempore *Conradi II.* patris sui, à quodam clerico fistulam tulit argenteam, qua adolescentes aquam jaculari consueverunt, episcopatum ei paciscens, cum fieret imperatoria stipatus dignitate. Advenit tempus, quo pollicitum exigeret episcopatum. Imperator vero sponsum impigre donavit. Pauco labente tempore Imperator morbo sternitur acerbo, & aggravata infirmitate exsensis jacuit & mutus. Pro cujus salute Pontifices triduano indicto jejunio Dominum suppliciter exorarunt. Sanitati redditus, episcopum, cui *pro fistula episcopatum contulerat*, concilii sententiâ deposuit: Confitens, se toto illo triduo malignos spiritus infestos horribiliter habuisse, anhelitus flammivomos per eandem jacientes fistulam. Fuit namque tam intense flamma succensa spirantium, ut ignis nostri incendium illius comparatum ardori, risus & lusus æstimetur. Interea verò juvenis quidam semiustus appropinquans calicem miræ magnitudinis aqua plenum ferebat, cujus intuitu, & laticis aspergine extinctos Imperator effugiebat ardores. Hic erat gloriosus martyr *Laurentius*, cujus templum tegmine fecerat solidari, & calicem aureum contulerat templo, in sancti Laurentii honorem, qui ipsum à diaboli machinamentis defendebat.

Henrici III. Imp. facinus contra Simoniacũ Episcopũ.

Episcopatus venditus pro fistula argentea.

Quid igitur, ô mi sponse, proponere debeo salvationi meæ necessarium, nisi ut omnis *e medio tollatur Simoniæ impietas*. Cujus ablationem fieri non posse multum formido, cum & ipsa iniquitas *pro nullo crimine reputetur*.

Simonia eradicanda.

Possem, si vellem, ad particularia descendere, ostensurus nominatim *Simoniacos* manifestissimos. Sed nisi necessitas compellat, uti tragœdiis nolo. Nam comicus esse gestio. Netamen

men alicujus offendar opinione, dicam breviter verissimum veritatis eloquium: *Omnes totius religionis* tuæ *rectores simoniaci* sunt manifesti. Et tu, si placuerit, inspice *summos* tuos *vicarios*, & adverte, annon à primo usque ad ultimum *simoniaci* veri sint. Hos dico, qui *hoc in periculoso schismate summi pontificatus* effulserunt dignitate. Et descende de monte per medium usque ad montis pedem, &, si non repereris, ut refero, mihi amplius credere noli.

Pontifices summi ante Conc. Const. Simoniaci.

Ecce malum *primum*, quod in me invaluit, & ô utinam eradicetur. Timeo, quod extirpari nequeat. Sed quod per tuam possit prudentiam, semper spero. Ex his patulum est, omnes deditos esse *avaritiæ*, à minimo usque ad maximum. Quæ totius *mali* præfati *causa* est & fundamentum. Sed & hic rivus fonte suo pejor est, magisque perversus.

Distinctio III.

Fastus & arrogantia in Clero, in Papa Cardinalibus & Episcopis nimia pompa, perstringuntur.

STudens, in quantum potero, brevitati, dimissa de avaritia ac Simonia prosecutione ulteriori, procedo ad *aliud* non minus iniquitate *malum*, ad *fastum* & *prælatorum superbiam* superabundantem.

Fastus Prælatorum.

Tu docuisti humilitatem filios tuos, dicens: *Discite à me, quod miser sum & humilis corde.* Et te tuus ille *Petrus*, cui dixisti: *Pasce oves meas*, Et iterum: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, miro humilitatis sequebatur vestigio, cui & præcepisti sic inquiens: *Sequere me.* Huic Petro, huic vicario tuo, imo & omnibus tuis imposuisti jugum leve atque suave, ut te sequerentur, *humilitate* præfulgentes.

Humilitas Christi

Itemque tu ipse, stelleum relinquens olympum, carnem ex virgine sumsisti Maria, *paupertatis* cultor factus, qui mundi bona totius possides, eadem largiens secundum tuæ propositum voluntatis, his plura, aliis pauciora. Et illam dedicasti paupertatem in tua carne, & in matris gremio ipso nudus mundum ingrediens, deinde vilibus obtectus pannis, in loco immundo inter bestias effusus, reclinatus in præsepio, postmodum XXXIII annis famem, sitim, frigus & cætera plura præ paupertate perpessus, demum ascendisti in lignum crucis, mortem nudus expectans turpissimam, nec habens post crucis descensum, proprium, in quo ponereris, locum, qui aisti: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.*

Paupertas Christi.

Duo igitur hæc in te ipso dedicasti, *humilitatem* videlicet & *paupertatem.* Sed quantum tui declinaverint ab his itineribus *successores Petri*, orbem noscitur per universum. Vah quantæ sacerdotum omnium familiæ, vicariorum tuorum familia, superflua equorum pluralitas, vestiumque plura mutatoria, pretiositas nimia, atque ædificia ampla, multumque decorata.

Familiarũ splendor in Episcopis.

Ecce, mi sponse, *maximi Pontifices* tui ut milites pugnant, ut raptores spoliant. Armigeri facti sunt, qui tui tyrones esse deberent. Diaboli ferunt insignia, non tua, dulcissime sponse, gloriosa stigmata. *Currunt* revera passim *ad curas* gregum tuorum, *tanquam sine curis* quisque sit victurus, *superbiæ* & *avaritiæ* nimis intendentes, neque te sequi etiam in minimo volunt.

Pontificũ summorum studium ante Conc. Const. Ad Ecclesias curritur sine curis.

Et quo plus dignitatis Ecclesiasticæ fuerint onere gravati, tanto plura appetunt pondera divitiarum, *ambitione* notati. Nec periculis deterrentur, sed favoribus præditi, & superbia inflati, quicquid contra humilitatem & paupertatem efficere potuerint, satietate quadam inexplebili præoptant. Est in eis infinita *ambitio*, intermina *superbia*, *avaritia* insatiabilis, & immane atque crudele *honoris desiderium*, ut amplius dilatentur, & ad celsiora exaltentur.

Ambitio cleri.

Superbia. Avaritia.

Sed quid? Loquorne ego sponsa tua de *pretiosis vestibus?* Absit, ut illarum obli-

Pretiosæ vestes in Clero.

obliviscar. Christus nudus natus est, & ipsi *Pontifices* sine vestimentis lugubrem inchoavere vitam. *Christus* Rex Regum & Dominus in nativitatis suæ etiam initio fuit pauperrimus, & *hi, vili aliquando stemmate nati*, ante prælationis curam *pauperes*, sed *inviti*. Cura vero pastorali præditi, vestes pretiosissimas comparantes, te Regem atque summum Pontificem aspernantur.

Pompa Pontificum & Cardinalium.

Mulierculis præcipitur: *Non in veste pretiosa*. Quod si fœminæ verecundari de pretioso vestimento tenentur, quare tu, *caudate Pontifex*, etsi *Papa* sis aut *Cardinalis*, te ipsum in tam pomposo non reprehendis habitu? Vadunt geruli, ut Pontificum & Cardinalium sufferant vestes.

Vestes caudatæ.

Et, tu ô Petre, Clemens, cæteriq; Christi sancti vicarii, ubi *vestes* vestræ *caudatæ in terra serpentes?* Fuistis Vos sponsi mei imitatores, humili habitu incedentes. Cujus, rogo, sunt isti secutores, *caudas longas, familiarum pluralitate* ferentes? *Equi* magni phalerati auro & argento relucent amicti. Rogo, dicite Pontifices, *in freno quid facit aurum?* Ecce pauperculi nostri fame, siti & nuditate deficiunt, & isti dona tua tam viliter, quam inutiliter expendunt, mori permittentes, quos illos etiam tuo sanguine redemisti pretioso.

In freno quid facit aurũ?

Pontifices, cæteriq́ue *prælati*, nihil quærere nisi tantùm Dei honorem deberent & salutem proximorum. Sed nunc Deum postposuerunt, & te sponsum meum ad iram irritaverunt, & propriæ intendunt *utilitati*, proximorum salutem minime advertentes. *Aurum* quærunt, & te Dominum habere dedignantur. Te humilem ipsi *superbi* sequi volunt, sed æstimo, quod non possint. Te etiam pauperem, *suffocati divitiis*, imitari cupiunt. Sed alium tibi Dominum præposuerunt, quem renui: Non nomine, sed re ipsa insequuntur.

Divitiis suffocati.

Timeo me verbis meis prolixis te infestare: Vellem Pontifices nostros sancti *Amalachiæ* vitam, mores, conversationem, quam utique, si vellent, possent, imitari. Hic erat *tempore Conradi III. Archiepiscopus* singularis atque sanctissimæ vitæ. Hic *nunquam* fuit *otiosus*. A die primo suæ conversionis sine proprio vixit, non servos, non ancillas, non villas, non vitulos, non denique quicquam redituum Ecclesiasticorum secularium ve in ipso habuit episcopatu. Mensæ prorsus Episcopali nihil constitutum vel assignatum, unde Episcopus viveret. Nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem incessanter circumiens parochias omnes, serviens Evangelio, & de Evangelio vivens, sicut constituit ei Dominus. Apud quos moram fecerat, illorum se moribus & observantiis conformavit. Cumque iret ad prædicandum, cum peditibus & ipse pedes ibat. Et hæc quidem eo magis mira, quo rara nimis in aliis.

Amalachiæ Archiepiscopi vita.

Otii fuga.

Familiæ tenuitas.

Mensa frugalis.

Visitatio Ecclesiarum.

Nostri Pontifices dominantur in vulgo & in clero: Iste omnium se servum fecit. *Nostri nec evangelizantes manducant de bonis Ecclesiæ, & bibunt ad saturitatem:* Ille, Paulum secutus, ut evangelizet manducat. *Nostri fastum & ambitionem æstimant pietatem:* Ille paupertate & humilitate gloriatur. *Nostri felices se credunt, si magnas habuerint quibus dominentur terras:* Ille in charitate tua magnum jocundatur. *Nostri horrea & dolia replent, unde onerent mensas:* Ille colligit in deserta & solitudines, ut impleat cœlos. *Nostri capiunt decimas, primitias, fructus, oblationes: Insuper & de Cæsaris beneficio, telonia & tributa, aliosque reditus innumeros:* Iste cogitat solum, ut impleat promptuaria Dei. *Nostri exigunt à pauperibus, ut dent divitibus:* Iste sollicitat divites, ut dent pauperibus. *Nostri alta erigunt ædificia, palatia construunt, turres & mœnia fabricant, & ad cœlos levant:* Iste non habens ubi caput reclinet opus facit evangelistæ. *Nostri equos conscendunt cum turba hominum:* Iste sanctorum fratrum circuit & amplectitur pedes, panem portans angelorum, quo animas satiet esurientes. *Nostri plebem non agnoscunt:* Iste erudit: *Nostri potentes & tyrannos amant & honorant:* Iste punit tales, corripit & castigat. *Citius histrioni nostri Pontifices dant florenos X. quam pauperi mendicanti solidos VII. Recipiunt munera à pauperibus, quibus suas elargiri debent e-*

Pontificũ & Episcoporum vitia ante Concil. Const.

lemo-

Eleemosynas. Ecce hic vir verus fuit apostolicus. Tales esse deberent Pontifices, qualis fuit vir ille sanctus. Sed breviter dicam:

Nostrorum Pontificum *superbia & ambitio*, qui te oderunt, ascendit semper. *Facti nostri clerici Archidiaconi, ad Episcopatum adspirant:* Et *habito Episcopatu, ad ArchiEpiscopatum tendunt, vel ad duos episcopatus*, non moti justitiæ zelo, sed ambitionis iniqua voragine allecti. Et *qui se ipsos regere nequeunt, spirituale & temporale sibi usurpant regimen*, sive per fas sive nefas. Quia *habentibus pecuniam omnes fores & ostia singula patent:* Pauperibus verò omnis janua clausa. Unde est & illud *Ovidii:*

Curia pauperibus clausa est.

Gradus dignitatum Ecclesiasticarum.

Unde consequitur: *Divitibus omnia reserata.*

Sed & in sequentibus de hac magis dicere intendo materia. Nunc dixisse sufficiat de *Prælatorum superbia, fastu atque ambitione.* Ad alia transeundum est cum brevitate.

De *luxuria* etiam eorundem quid dicam? Cum ipsa jam facta *impudicam Prælatorum ac sacerdotum vitam* apertissime clament. Nulli enim parcunt statui aut sexui feminarum, & sive virgines sint, sive moniales, sive seculares, aut alterius conditionis, indifferentes sunt ad omnes. Testantur hæc animalia supra terram gradientia in dedecus tuum meumque, dulcissime sponse.

Luxuria Ecclesiasticorum.

Distinctio IV.

Acceptio personarum damnatur, dum indigni ad officia & beneficia evehuntur, digni postponuntur.

Vellem de malo progredi in bonum, sed non permittit schola nostra tam perversæ congregationis, ut omni conatu valeam nostro jam tempori adscribere bonum. Præsentium dierum, horarum atque momentorum non patitur angustia, ut *de spinis rosulæ* colligantur, sed *spinis adjici tribulos* est necesse. Hinc *tertium* superaddam *malum*, quod mentem molestat meam, cor quoque facit inquietum. Et istud ex primis ante positis oritur radicibus & fundamentis.

Est igitur, ut cito colligam, *tertium* nefandum *malum expulsio* sanctæ *charitatis*, & *desertio æqualitatis*, quasi, ut ita dixerim, naturalis: *Acceptio personarum.*

Acceptio personarũ in officiis Ecclesiæ distribuendis.

Hoc namque judicium humanum fallitur *divino* consilio, quod *non est personarum acceptor DEUS*, sed in omni gente Deum timens acceptus est illi. Qui *meruit* merito suo, sive bono, sive malo, præmium, nactus est. Sententia ista à nulla revellitur plebe, quam filii nostri in nostra conglomerati schola simpliciter annullant & contemnunt.

Digni officiis sacris.

Meritum jam voco, *dignum, quem ipsa scientia vitæque honesta perornat conversatio.* Qui, etsi talis tantusve in omnibus extiterit, sed *pauper*, tanquam vas *ejicitur* putridum aut inane, quod, *unde beneficium sibi vendicet, non habet.* Hinc & fame, quantum in nostris est filiis, mori permittitur.

Eruditio. Vitæ honestas. Pauper & in Ecclesia jacet.

Dives vero cum abundet, ea, quæ libent, non quæ licent, *impetrat:* Cum *munera* ipsum immeritum ac *indignum* multum *digno præferri* non desistant. Quod & Poëta testatur, ita dicens:

Carmina laudantur, sed munera magna petuntur.

Dummodo sit dives, barbarus ipse placet.
Aurea nunc vere sunt secula, plurimus auro
Venit honos.

Divites ad munera sacra adspirant. Indigni dignis præferuntur.

Item idem:

Ipse licet venias musis comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Enimvero hæc est in nostra congregatione stupenda societas. Ebrius unus est, alius sitibundus incedit, alius fame pallescit, alter gula moritur. Alter nudus nudam tuam sequitur crucem, alius vario circumamictus latebras sequitur Dæmonis & speluncas. Alter conscientiæ gloriam in te sponso meo figit. Alius tumore præbendarum

darum stipatus tui obliviscitur, in se ipso confidens. Alius lumine tuo suffultus radios spargit charitatis tuæ. Alius divitiarum tumultu præditus, speciem evomit nequitiæ, sanctam dilectionem parvi pendens. Et tamen, qui mammonam habuerit iniquitatis, maligno armatus spiritu quantumcunque fuerit, superfluens, pauperi præponitur, quantumvis digno. O vesania, o injustitia. O infinita perversitas. Quantum agit & efficit auri pondus, & argenti copia?

Opum vis in Ecclesia

Dicite, Pontifices, *in templo quid facit aurum*? Paupertatem spernit & ejicit aurum, divitem atque opulentum ditiorem facit. Memini jam verba Philosophi in hæc verba prorumpentis: *Nemo poterit justitiæ & pecuniæ simul servire.* Sed quod dictum est, forsan non recensebis.

In templo quid facit aurũ?

Justitia & pecunia simul servire nemo potest.

Audi, mi sponse dulcissime, aperiam in parabolis os meum, imo in veritate proloquar. Audi ergo & tu, terra, sermones meos. Concrescet ut ros eloquium meum, & delectabitur anima tua in multitudine vocis meæ. Nolo ad singularia declinare, in communi loquor *secundum rem gestam.* Non enim sunt fabulæ verba mea. *Res acta sunt.*

Unus possidet *beneficia* XVIII. XX. XXIIII. secundum-sub- & super-*compatibilia* & *incompatibilia.* En, hi divites sunt. Sed *pauper*, cui meritò subveniri deberet, *contemnitur, & scientia & sancta vita ejus.*

Beneficiorum Ecclesiasticorum cumulus.

His imprecatur *Propheta Amos: Væ*, inquiens, *væ, qui opulenti estis in Sion!* Æstimo ego, *beneficia eleemosynas esse pauperum, non ingluvies divitum.* Sed reveva *divitum* videntur *patrimonia.*

Beneficia Ecclesiæ sunt eleemosynæ pauperũ.

Heu dolor, quam de bonis Domini vivitur? Eheu, quomodo divisa sunt bona! Ecce patrimonium crucifixi! Tu es ille, & revera de novo te isti crucifigunt. Et tu permittis, proh pudor, quod sunt divisa bona tua.

Iste in *una* civitate & *duabus* Ecclesiis *tria* possidet *incompatibilia*, tot ditatus *beneficiis*, ut etiam vix numerum computare norit eorum: Et alius egens & mendicus nullius poterit beneficii pietate provideri.

Beneficia incompatibilia.

Unde hic, ut citius eloquar, *convenire* volo *cum sancto Bernhardo conscientias singulorum*, & secundum Domini præceptum ad cor Hierosolymæ loqui. Huic parvulo, *nec dum* forsan *nato, Ecclesiastica* jam *beneficia* provida parentum sollicitudo paravit. Hunc nos, inquiunt, illi vel illi trademus *Episcopo*, apud quem habemus gratiam, vel forsitan, cui servivimus, ut ditemur de bonis Domini, ne in tot liberos nostra dividatur hæreditas. Illum *Præpositus* aut *Decanus*, ut sibi succederet, plusquam materno educavit affectu, *in deliciis* enutriens *& delictis.* Ille dignus *Archidiaconatu*, puta filius principis, magis autem, si sit *Episcopi Consobrinus*, in quo nimirum est tota Episcopalis progenies. Alius undique circumit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, dissimulat, miseraque sibi *suffragia mendicare* non erubescit, manibus pedibusque repens, si quacunque cautela se *in patrimonium* queat *ingerere crucifixi.*

Infantes etiam beneficiis Ecclesiæ oneranturur.

Modus aucupandi præbendas.

Ad suffragia mendicantium.

Patrimonio Christi se ingerere.

Revera, quisquis sic quærit Christi patrimonium, ut inter sumtus hæreat, evangelisat ut manducet, & retrogrado modo cœlestibus temporalia mercatur, sane melius esset, ut carnalia magis opera atque negotia exerceret pro temporalium affluentia, cui prohibetur etiam, tali astutia possidendi hæreditatem tuam, sponse mi dulcissime.

Eligi deberent ex clericis viri justi, ipsi se *ingerere* non deberent. Sed his plura eveniunt mala. Sustinendum esset, si modo vitæ necessaria quærerent, si nuditatem suam tegere, si esuriem compescere intenderent: Sed revera superflua petunt, & quanto plura possederint, tanto magis *ad pinguiora anhelant*, juxta illud Ovidii:

Eligendi beneficiis digni.

Pinguiora beneficia.

Creverunt & opes, & opum furiosa cupido.
Et cum possideant plurima, plura petunt.
Sic quibus intumuit suffusus venter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Væ, væ mihi in filiis meis! Magis *idolatræ*, quam ministrantes tibi, reputandi sunt, quorum Deus venter est.

Idololatræ in Ecclesia.

Sed adhuc perversa res est valde: *Sacrilegium* certe est, *res pauperum non pauperibus dare.* Sed quibus largiantur nosti

Sacrilegi.

& tu,

Promotiones sacræ.

Patrimonia pauperum.

Dispensatores eorum.

& tu, o mi sponse. *Extollunt* & exaltant de bonis tuis, o Domine cruci affixe, *consanguineos, nepotes: Neptes* vero, si non dixerim *filias*, nuptui tradunt. Sane patrimonia sunt pauperum facultates Ecclesiarum: Et sacrilega eis crudelitate surripitur, quicquid sibi ministri & dispensatores, non utique tui, vel possessores, ultra victum & vestitum accipiunt. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere delicias vel ornatus, sed vivere. Ut videlicet sint contenti, *alimenta corporis, non gulæ irritamenta aut incitamenta libidinis*, & quib' tegantur, non, quibus ornẽtur, accipere. Triplex ergo funiculus, qui difficile rumpitur, miserum in perniciem trahit: Qui impure *intrat*, indigne *ministrat*, & fructu *abutitur* temporali.

Statuta Ecclesiasticam spernuntur.

Decreta Urbani Papæ de bonis Ecclesiæ.

Clericorum astutia.

Contra præfata mala plura *in statutis Ecclesiasticis* scripta sunt. Sed non video scripturæ profectum, quia nullus sequitur executionis effectus. Hæc singula scriptis veteribus novimus emendata. Nam anno à nativitate tua M XCV *Urbanus Papa* in Galliam veniens apud Claromontem concilium celebravit, in quo inter cætera statutum est, *ne clerici in duabus civitatibus in Ecclesiis præbendas habeant: Et ut Ecclesiastica dignitas a nullo ematur vel vendatur: Et ut eis auferantur Ecclesiastica dignitates, qui scienter à se vel à suis parentibus emtas habuerunt.* Sed quomodo contra hæc *clericorum* pugnet *astutia* & triumphet, qui superabundanter ista possident, experientia certa manifestat.

Unum igitur a te expostulo, sponse gratiosissime, ut *decretorum* decretaliumque *statuta teneantur*, in quibus expressissima æquitate Pontificum statuta, atque subditorum suorum subjectiones notatæ sunt, *aut* simpliciter *aboleantur*, ne cæteri, videntes eos à statu suo tantum exorbitasse, scandalizentur, ultra modum statum vilipendentes clericalem. Sed & ipsos deviasse, noverunt multi. Sed ex vitiata consuetudine illa radix, quæ extabuit, cursu communi defluit quasi irreprehensa: Cum omnis jam mundi status à tramite justitiæ declinaverit. Doctus pariter & indoctus, senex, decrepitus, juvenis & adolescens, mares & fœminæ, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, & non est usque ad unum, qui bonum faciat.

Decreta Ecclesiastica vel præstanda vel abolenda.

Communis contemptus constitutionum Ecclesiasticarum.

Cur nulla emendatio sperandæ.

Laicorũ conditio melior.

Hinc est, quod quilibet alium suffert: Quod nullius vitâ talis est, ut irreprehensibilis alterum valeat reprehendere. Enimvero, meliores reputo *laicos* in suo statu, quod non ad tanta, sicut isti, obligantur.

His pone, mi sponse dulcissime, tuâ clarissima prudentia *necessarium remedium*, obicem tantorum criminum, atq; horrendorum facinorum finem, ut & sequentia contundantur mala, quæ posthæc propono recitare.

DISTINCTIO V.

Prælatorum ante Concilium Constantiense tyrannis & sacrilegia taxantur.

CEssare non valeo, quin malis accumulem mala, quod multiplicata sunt mala, mala inquam, quorum non est numerus. Ponam igitur *quartum malum* prioribus non minus leve. Sed ego quidem veritate compulsa, ut & illud exterminetur exposco.

Prælatorum tyrannis in Ecclesia.

Proprio commutant.

Prælati nostri *tyranni* sunt, *bonum proprium quæritantes*, non gregum suorum. Et, quæ aliquando ad experientiam communitati prodesse videntur, intrinsece *in usum atque bonum proprium* commutant. Hi non pastores, sed mercenarii à te Dei filio vocantur, qui non intrant in ovile per januam, sed ascendunt aliunde. Fures ergo sunt, non *Prælati*, nisi *solo prælationis nomine* exultantes.

Commodum.

Scelera subditorum sunt gaudia prælatorum.

Hi etiam de subditorum suorum malefactis gaudent: Ut eosdem illud facientes pecunialiter possint condemnare. *Nec* abhorrent facinus, *curantes, quantum quis deliquerit*, sed *quantum quis solvere possit.*

Est & aliud *tyrannidis vitium*, quod non

Exactiones molestæ.

Monasteria opum promptuaria.

non solum importabiles imponunt *talliis* transgressoribus, sed & innocentibus, pauperibus & Deo devotis. Nam monasteriis monachorum atque monialium bona, unde vivere deberent, auferunt, rapiunt, & suis castris, mœnis, & oppidis usurpant, sacrilega quadam insania templum DEI prophanantes.

Moniales virorum favorem mercantes.

Monialium stuprum.

Unde compelluntur monachi, & præcipue sanctæ *moniales*, præ inopia & præ penuria septa exire monasterii, *virorum mercando favorem*, ut habeant, unde sustententur. Et sic pauperculæ oves tuæ infamantur, deflorantur, & in interitum mortis abeunt, desciscæ a sanctorum Angelorum societate, quorum sorores effectæ fuêre.

Grande dedecus.

Eheu! quanta loquor cordis amaritudine, cum hæc oculis meis videam & cognoscam. Et tu sponse, taciturnitate nimia obmutescis, violari permittens sponsas tuas. Cur non cædis illos *importunos* atque tibi rebelles tyrannos, qui non modo patrimonium tuum, sed & templa sancta tua profanant. Noli differre, qui hucusque distulisti, vindicare tam grande scelus, tam immane facinus, tamque horribile crimen. Cum tu per *Micheam Prophetam* ita prænuncies, & vindicative loquaris: *Audite Duces domus Israel, vos odio habetis bonum & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum de eis, & carnes eorum de ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum excoriaverunt, & ossa eorum contuderunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio olla. Cessare eos faciam, ne ultra pascant gregem meum, liberabo eum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.* Ecce Pontifices Tyranni, qui pauperibus tuis bona tua abripiunt, imo violenter auferunt. Qui & ipsi pauperibus non habentibus ex tuo erogare obligantur præcepto.

Pœna facinorum.

Damna monialium irreparabilia.

Si peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum: Etsi congregationi præfatæ temporalia restituerint, quod nec intendunt: Quomodo reddent honorem, famam, pudorem & florem virginitatis, quem eo, quo prænarravi modo, abstulerunt? O nefanda Pontificum impietas! O execrabile templi Dei stuprum! O crudele spectaculum! Sacrilegi sunt isti, omnibus bestiis immaniores. In omni genere etiam bestiarum, ferarum & jumentorum *muliebri sexui parcitur*, ne mares fœminis sint crudeles. Sed hi, qui sanctam societatem devotarum deberent defendere puellarum, eas rebus persequuntur, & pudore prosternunt. *Seculares principes hujusmodi scelera adhuc non sensi effecisse, quorum aures talia audire etiam perhorrent.*

Muliebris sexus privilegium.

Principes seculares meliores.

Sed quod tu, o mi sponse, silentio ista pertransis, ideo te non vindicaturum opinantur. Age ergo, quæso, agito fortiter, opilio mundissime, ne oves tuas, quanquam immundas, tantorum feritas luporum de cetero devoret, & in sempiternæ præcipitium mortis abducat. Timeo, te expectare tempus vitæ illorum extremum, quo singula præfata gladio justitiæ coërcebis. Sed hæc animadversio nimis dura. Novi namque, te & in præsenti mundi statu aliquando strenue judicasse, eo in tempore, cum ob cujusdam tui famuli devotas supplicationes, videlicet *Vigoris Episcopi Bajocensis*, tempore *Childeberti Regis Francorum*, imperante *Justino* seniore, comes *Beltulfus*, avaritia æstuans, agrum illius superbe & violenter occupavit, illumque aratris conglobatis arare cœpit. Orante te viro Dei, ut hæreditatem ab eo sibi datam defenderes, superbum illum in vindictam perpetrati facinoris de equo cadere permisisti, qui cervicibus fractis miserabiliter expiravit.

Lupi in claustris

Beltulfus comes injustus

plexus.

Neque ô mi dulcissime sponse, tali te volo percellere vindicta, qui patrimonium tibi abripiunt: Sed eos mulctari vellem plaga quadam vindicativa in hac præsenti vita, ut se deliquisse confiterentur, agentes pœnitentiam, & ea, quæ Ecclesiæ tuæ injuste abstulerunt, condigna satisfactione rependerent, ne post hanc vitam suppliciis æternis dediti stygi horrendæ miscerentur.

Sicut contigit cuidam *comiti*, de quo refert *Petrus Damianus*. Qui, cum bonæ fuisset opinionis, & innocentis vitæ, secundum opinionem hominum, dum mor-

mortuus est decennio, complens suæ consummationis diem: Contigit, virum quendam religiosum per spiritum ad inferiora descendere. Qui cum descendisset, vidit eundem comitem in supremo gradu cujusdam scalæ. Quæ scala inter stridentes & crepitantes flammas videbatur erecta ad suscipiendos homines, qui ex eadem comitum genealogia descenderant. Surgebat autem scala illa de immenso baratro. Hoc autem ordine succedentium series texebatur, ut qui novus adveniebat, supremum teneret gradum scalæ, & qui in eo repertus fuerat, ad inferiorem proximum descenderet. Cumque vir, qui hoc aspiciebat, requireret, quare ille comes sui temporis, qui tam juste vixerat, illic torqueretur: Audivit, propter quandam possessionem Matensis Ecclesiæ, quam beato Stephano proavus ejus abstulerat. Cui iste jam decimus in hæreditate successerat.

Peto ergo pœnam pro culpa infligi, ut anima salva fiat, ut ablata restituantur, & Deiformis à te spiritus corpori infusus salvetur. Et, quod te terribiliter novi puniturum eos, qui pauperibus tuis sua auferunt, in futura vita; Idcirco pœnam illam sempiternam in temporalem hujus vitæ commutari, supplici ter exposco.

Præbendarum multitudo.

Sic & non minus peccare firmissime credo *Pontifices* & *sacerdotes*, qui *præbendarum pluralitate* gaudent, & Ecclesias duas suo regimine disponere non formidant. Hoc ante prohibitum est à sanctis viris, nisi necessitate stringente, non potestate dominante, aut superfluitate regnante. Magis itaque peccant Pontifices secularibus viris, qui revera Ecclesiam tuam in omnibus & per omnia ordinare debebant, & summa vigilantia custodire, ne circa ipsam aliquatenus, nisi quantum devotio, & sincera charitas patitur, procedant, eidem nihil penitus auferentes, vel suis pauperibus abstrahentes.

Summi Pontificis culpa & pœna.

Summus igitur *Pontifex* in his delinquens majori & diriori pœna percellendus est. Unde & habemus clarum eodem *Petro* narrante exemplum. *In partibus Babyloniæ tempore Henrici quarti sedes Apostolica possessionem habebat.* Unde tantum balsami reditum annuatim capiebat, quod sufficiebat illuminandæ lampadi, ante altare sancti Petri suspensæ, & semper ardenti. *Hanc possessionem accepta pecunia Papa distraxit*, & canonem aromatis, quem accipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum idem Papa ante altare quasi devotus astaret, orans, ecce grandævus & terribilis senex, in cujus etiam facie barbicasium videbatur, elato brachio colaphum illi vehementer incussit, & ait: *Tu extinxisti lucernam meam ante me, & ego extinguo lucernam tuam ante Deum.* Moxque disparuit. Ille corruit, & paulo post obiit.

Summi Pontificis beneficia ex reditibus Balsami Babylonici. Papa vendidit.

Pœnas dedit.

Tanta igitur pœna magnum proclamat facinus atque injuriam gravem cum præpotenti injustitia. Unde crudelis & immanis *raptus* ille præcipitium corporis & animæ merito nuncupatur. Tali ergo morte *Tyrannorum* rabies percelli consuevit. Ut vix aliqui, qui sine sanguine ac cæde crudeli moriantur, possint reperiri, juxta illud Juvenalis:

Tyrannorum fata.

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges & sicca morte Tyranni.

Istud ergo impium sanctorum *templorum spolium*, sed verius *sacrilegium*, summopere flagito amputari. Et ne longiloqvus nimis experimento comprober, ad alia puto transeundum.

DISTINCTIO VI.

Imperii Romani ante Concilium Const. per Pontifices enervatio, gladius Imperatori extortus & Pontificibus vindicatus, vivis pinguntur coloribus.

RAdice læsa, ut rami putreant & areant est necesse. Quapropter ventorum turbine quassa exanguis reperior, multimodis concussa molestiis. Unde te ô mi sponse dulcissime, animadvertere nisibus totis flagito. Nescio, quid fecerim tibi, ut me relictam patiaris, jam jamque quasi *XL annis.*

annis simpliciter acephalam. Non modo queror de sponso vitæ contemplativæ, sed & activæ.

Ubi sunt *gladii* illi, de quibus referebat Apostolorum chorus: *Ecce duo gladii hic*: Et tu respondisti: *Satis est.*

Imperatori debetur gladius.

Imperatoris est accipere gladium, ut tanquam miles pugnet pro me. Ecce, gladius unus, qui corpora scindit, malos de medio aufert, & unicuique secnndum leges timorem mortis ingerit, justitia mediante. Hunc itaque gladium, veluti sanctus & egregius miles *Carolus Magnus*, *omnis* accipere debet *Imperator*. *Quem nullus Papa aut Episcopus*, ut se illo, sicut miles tueatur, *rapere potest*, te teste, cum dixisti Petro: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Tuus ergo & meus uterque est gladius, sed unus pro me, alter à me; Hic summi Pontificis, ille militis manu extrahendus.

Carolus magnus.

Papæ aut Episcopis denegatur gladius.

Papa injuste sibi vendicat gladium.

Sed revera *contra vetitum Papa gladio certat*, ut miles. Ut verissime *non Petri successor*, sed *Constantini* aut Principis cujusvis secularis Papa *vicarius* æstimetur. Debuit Papa pascere gregem meum verbo doctrinæ salutaris & opus exercere prædicatoris: Sed, eo contemto, *non verbo* pugnat *sed ferro*, non gladio spirituali, sed ense corporali.

Papa verbo pascat, non ferro.

Tu ipse, neque *Petrus* tuus processisse legitur gemmis ornatus vel sericis: Milite multo stipatus, urbes, castra & oppida circumvallasse, viros nobiles & ignobiles captivasse, homines decapitasse, & cetera militis implesse opera: Credens, tua supplesse præcepta, pascendo oves tuas, per te ipsi commissas, verbo salutaris harmoniæ, cœlestis videlicet doctrinæ, scientiæ & sapientiæ. O proh dolor insania! Eheus infamia! Vah destructio sanctissimi status mei.

Papa Petro dissimiles.

Scribant Reges & Principes seculares homilias & poëtrias. Scribant *Episcopi*, majores & minores, ut *faciant peltas & vaginas*, ut belligerent. Nam pugnant *Pontifices*, tui successores, absque necessitate. Et miror, quare tu eodem te non defenderis ense, cum tibi necesse fuerat. Aut, si non decuit, cur nunc tuos decet Episcopos, ut illo ferreo pugnent gladio? Qui imperium sibi tanta nacti sunt autoritate, ut *Imperatoris nomen egregium expulerint*, culpæ in vindictam.

Officia Principũ & Episcoporum commutata.

Imperatoris juri derogatũ.

Sed cito eloquar Cadat igitur utros eloquium meum. *Acephala sum in rectoribus utriusque gladii.* Nam *Papæ multi* sunt, *Imperator nullus.* Monstruosa res ego sum, quod hic pluralitas, ibi defectus. Pluralitas in Papis. Ecce nova Grammatica: *Duo Papæ*, duo soles. *Defectus in Imperatore.* Portentum in Episcopis. Qui ut milites omni se parant apparatu, gestu & moribus, armati, loricati, dextra lanceam rapientes, ad prælia doctissimi, femore gladio circumcincti, pugione coxa suffulti. Militaris hoc facta sum gladio. Unum necesse est, milites alio pugnaturos gladio, ut maneant enses tui duo: Cum illi *ferro* certent, isti *verbo* ut prælientur consequens est.

Papæ multi. Imperator nullus ante Concil. Const. Portentum in Episcopis.

Horum causa est omnium tam *miserabilis casus imperii sacri*, ut à tempore illustrissimi atque serenissimi Principis *Caroli*, *Bohemiæ Regis atque Imperatoris* semper Augusti, cujus memoria in benedictione est, nullus fuerit Imperator usque in diem hodiernum. Qui mortuus fuit in regali civitate Pragensi anno ab incarnatione tua MCCCLXXVIII. in vigilia sancti Andreæ.

Imperii sacri casus. Carolus IV. Imp.

Apparet igitur, *Romanos*, *eorumque Pontifices*, *prænuncios esse & præcursores antiChristi*, *cum causa sint cessationis & vacationis imperii.* Posset & istud esse signum adventus Anti-Christi, qui non veniet, ut ajunt nostri Doctores, nisi prius *imperium destruatur.* *Cujus destructio* manifesta cum multis enormitatibus jam est injecta. Vel forsan fuit defectus in sacri imperii Electoribus, qui non rite elegerunt, vel inutilem & pertinacem. Et tota iniquitas in caput meum redundat.

Auguriũ de Pontificibus Romanis ante Conc. Const. Imperii Romani ruina ante Concil. Const.

Post tam *enormia seculi nostri pericula*, *inobedientia* impio regnat gradu. Ut mundum per universum, *totius potestatis*, sive secularis, sive spiritualis, *commotio* triumphet. Surgit enim oculato luminis radio gens contra gentem, & regnum adversus regnum, Princi-

In sacris & civilibus confusa omnia ante Concil. Const.

Tristia fata Reipublicæ ante Concil. Const.

pes spirituales contra Dominos temporales, ArchiEpiscopi & Episcopi contra Duces, & è contra Episcopi contra civitates proprias, & vice versa: Episcopi contra comites, contra nobiles, contra militares, & iidem contra Duces, & illi contra comites: Militares contra nobiles: Et ipsi illis insultant, & filius contra patrem. Nam *Filius ante diem patrios incurrit in annos.* Duces quoque contra te sponsum meum militant, & me nituntur magna dejicere violentia. Unde merito conqueri cogor illud Jeremiæ: *Contritio super contritionem vocata est repente, vastata sunt tabernacula mea.*

De his omnibus atque singulis si tragœdiis uti vellem, exempla ponerem temporis jam currentis. Sed, ne librorum congeries in dispendiosum trahatur volumen, cessandum esse à singulis utile puto, quia hæc ad experientiam certissimam intuemur. Pugno igitur contra amicos meos, ambitione suffulta, tyrannide coronata, & superbia perornata. Contra paganos & inimicos loricam non induo, hastam non accipio, armata non incedo. Sed, nostri defensores, nostri rectores, nostri Christiani, nostri foti laribus, & lacte educati dulcissimo, pauperes opprimunt, viduas deprædantur, Ecclesias spoliant & incendunt. Et non est, qui succurrat misero, & causam pauperis qui defendat non invenitur. Ecce magni sunt hi viri, *acephali* vitam in terris agentes, tot scandala, tot crimina, tot perpetrantes nefaria, ut vitia ipsis in virtutes reputentur. Infimi modice delinquentes acriter puniuntur, sed isti latrocinia committentes extolluntur, & laudantur, quasi magnifici.

Publica miseria illius temporis.

Et revera locum hic habet solennis illa inter Alexandrum & Dionem piratam disputatio: Et id, quod gloriosus ille *Philosophus ajebat magnis furibus parvum furem suspensuris: Non æqua lance pensatur humana vita.* Et ut breviter dicam: *Magni, quicquid libuerit, absque discrimine facere possunt, parvis ob minima condemnatis.*

Magni fures parvum suspendunt.

Licentia superiorum.

Unum inter hæc est, unde vulnerata prosternor: Cum omnes isti dominante sint opulenti potestate, *quicquid voluerint*, non quod liceat, taceo expediat, *agunt.* Nam & ab iniquitate Regis familia malitiam solo discit exemplo, ut ait Pœta Ovidius:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Hinc fit, & factum est, ut à maximo usque ad minimum non sit, qui faciat bonum, neque usque ad unum. Nam *qualis Rex, talis grex, qualis sacerdos, talis populus, qualis radix talis ramus, talis & fructus.* Nullum enim melius est consilium, nullaque utilior persuasio, quam *docere opere & veritate*, sileo verbo atque lingua. Sed si neque verbo instruunt, neque bono erudiunt exemplo, quomodo bona radix, quomodo boni pastores sunt, quorum interest, ut pro omnibus suis reddant subditis rationem. Quibus singulis dicitur: *Custos, quid de nocte: Custos quid de nocte.*

Ecclesiasticorum obligatio.

Corruptio

Neque habent excusationem cum Cain, ut respondeant tibi: *Numquid custos fratris mei ego sum?* Vere ipsi *pastores* sunt, sive *principes spirituales* sive *seculares.* Sed gregem suum oberrare permittunt, facti *mercenarii* sanctarum ovium, quas pretioso sanguine tuo redemisti.

Caini æmuli.

Mercenarii.

Sed ut finem faciam horum omnium, una est ratio: Quod *acephala* ego sum. Cum in his principaliter deficiam, qui necessarii pastores esse deberent. Unde vacante papatu, propter paparum pluralitatem, vacat imperium ex personæ defectu. Quapropter *omnis lex, omnis ordo*, & *omnis justitia confusa est*, publica ob hoc malitia omnium in omnes & singulorum in singulos dominante. Processurus igitur ad reliqua his vel æqualia vel mala majora.

Calamitas publica ante Conciliũ Const.

DISTIN-

DISTINCTIO VII.

Ignorantia præsidum Ecclesiæ ante Conc. Const. cum dolore describitur.

OUtinam malis adesset finis optatus! Quem prorogari jubet sequentium iniquitas malorum. Ut malum malo cohæreat, & jam malis plerisq; enumeratis plura sequantur mala. Nunquam cessant mali te prosequi, & me infestare, atque meæ injuriari benignitati.

Ecclesiasticorum injuriæ in Ecclesiam.

Sed in his contra *prælatos* & rectores ago. Isti enim sunt, qui te persequuntur. De quibus tu dixisti: *Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt.* Sic & ego tecum queror, & præ omnibus turbata, dolens nimis ego sum, quia universitas tota populi Christiani adversum nos conjurasse videntur. Et egressa est iniquitas à *senioribus*, *judicibus*, *vicariis* tuis, qui gentem tuam etiam quacunq; custodia pascere cernuntur.

Gradus Ecclesiastici occasiones lucri.

Et ô proh pudor! qui *rectores* & *primates* positi sunt, in persecutione mea primi sunt. Quorum *gradus sacri occasiones turpis* sunt *lucri*, & *avaritiæ quæstus bonum pietatis* est. Cura magna illis est circa *prælaturam*, sed de salute animarum solicitudo nulla. Ubi nunc prælatorum dulcedo, ubi sapientia? Periit dulcedo, quod regnant tyrannide. Dulcedo allicit, sed illi repellunt à se sua impia crudelitate subjectam sibi gentem.

Ignorantia Ecclesiasticorum ante Conc. Const.

Sed ubi *scientia prælatorum*, ubi *sapientia?* in stultitiam commutata est. Quia sapientia hujusmodi stultitia est apud Deum. *Ignorantia scripturæ sacræ plures fecit errare.* Plato *mundum* dixit *aureum*, *cum sapientes regnabant.* Et Romani non armis aut potentia, sed sapientia mundum sibi subjecerunt. Unde & ego tui providentia tribus sum dotata privilegiis, videlicet *sacerdotio*, *imperio* & *studio*, tanquam principali, quo vicarii tui, sive Pontifices, sive Reges, sibi populum concessum debent gubernare. In cujus signum sanctus vir & Rex illustrissimus *Carolus Magnus* studium transtulit *Parisios.* Per hoc innuens,

Reipublicæ præsidium sapientia.

Caroli M. Academia Parisiensis.

mundum sapientia regi, & providenter sustentari.

Mundus sapientia regitur.

Etsi aliquando, ut præsenti contuemur tempore, *principes* legum fuerint ignari & scientiarum: Ad minus *prudentes* & *sapientes* habere debebunt, quorum *consilio* religio Christiana regatur & corrigatur. Nam cum Roboam juvenum & insipientum uteretur & regeretur consilio, partem regni sui majorem perdidit. Quapropter Philippo ab Athenienſibus decem postulante oratores, ut sic illis habitis recederet, responsum accepit ab oratore eloquentissimo *Demosthene*, hanc fabulam confingente: Lupos aliquando pastoribus, quorum diligentiam decipere voluissent, suasisse, ut in amicitiam convenirent, ea tamen conditione, ut ipsis canes, in quibus jurgiorum erat causa, securitatis loco traderentur: Annuerunt pastores, & spe securitatis dederunt canes, quos ovium suarum vigilantes habebant custodes: Tunc lupi, ademta formidine tota, gregem omnem non modo pro satietate, verum etiam pro libidine laceraverunt.

Principum consiliarii. prudentes & docti.

Demosthenis prudens consilium.

Sic nunc nostris temporibus, *sublatis viris sapientibus*, lupi gregem omnem tyrannide & crudelitate necant. Sunt igitur consilia, sunt adinventiones singulæ pro regnis acquirendis, divitiis ampliandis, & pompa magna exercenda, non pro religione mea dilatanda, quam & ipsi vicarii tui contemtui habent & habuerunt. Non cogitant nec advertunt *Horatii* dictum, qui ait:

Sapientum exilium.

Vilius argentum auro est, virtutibus aurum.

Hanc vellem Reges optarent, Pontifices amarent, & omnes pastores mei corde exquirerent ex toto, qui tibi simillimi fiunt, imo Dii efficiuntur. Nam his dixisti: *Ego dixi, Dii estis.* Et idem Poeta ait de sapiente:

Sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum,
Præcipue sanus.

Sed

Sed valdè notandum est, quare humanum genus tot seculi curas amplectatur: Quod *sapientiam deseruit*, quam amplexari aspernatur. Et hæc tuentem se abstrahit, ne mundanis rebus inhærens cœlestes persequatur motus nec illos odio habeat. Unde, si

Frigida curarum fomenta relinquere posses,

ut itidem Poëta loquitur ad genus humanum,

Quo te cœlestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium! Parvi properemus & ampli.
Si patriæ volumus, si nobis vivere cari.

Sapientia vincit omnia.

Ego quidem certissime puto, *sapientiam omnia vincere*, & corporis vires atque pulchritudinem, insuper & thesaurum margaritarum, auri & argenti copiam multam, & quicquid dici potest ad omnium horum laudem & præconium. Imo *vincit & ipsam fortunam*, quæ fortissima in rebus omnibus est, *Juvenali* dicente: *Victrix fortunæ sapientia.*

ipsamque fortunam

Sapientia naturæ conformis.

Concordat etiam *cum natura sapientia.* Ut *ignorantia* vere sit & dicatur esse *naturæ humanæ contraria* & rationi inimica. Idem etiam clamat hominis natura, idem clamat sapientia. Nam *nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit*; ut idem præfatus Poëta ait. Ex quibus luculenter patet, non modo rationis participem *ignorantiam tanquam hostem repellere*, verum etiam omnem humanam naturam diligere sapientiam ex natura.

Ignorantia naturæ inimica.

Sapientia fons justitiæ.

Omnis igitur, *qui diligit sapientiam, diligit justitiam*, sine qua Reges regnare non valent, & sine qua regna non sunt nisi latrocinia. Quæ utique talis esse debet, ut omnia referat in te Deum, cunctarum opificem rerum. Aliàs etiam sapientia dici non meretur.

Salomonis avidus sapientiæ desiderium.

Eapropter Salomon à te petiit sapientiam, dicens ad te: *Ego sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum: servus tuus est in medio populi, quem elegisti: Dabis ergo servo tuo cor docile, ut possit judicare populum tuum, & discernere inter bonum & malum.* Et tu respondisti dicens: *Quia postulasti verbum hoc, & non petiisti dies multos, nec divitias, nec animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Ut ipse dixerit, gratias agendo: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Sapientia fortunata.

Sed *nostri* nunc temporis *sapientiam abjecerunt*, judicantes populum secundum ignorantiam & desidiam capitis sui, judicium & justitiam pervertentes. Enimvero, in quibus sapientiæ lumen clarere de jure deberet, ceteris magis sunt ignari.

Ignorantia publica ante Concil. Const.

Loquor de omni *statu, clericali* simul & *laicali.* Permaxime tamen *contra* hos loquor, & audaciæ eloquio, *qui curam gerunt animarum*, ê quibus non sapientes insipientibus, sed *insipientes sapientibus præferuntur.* Et id efficiunt divitiæ, & *amicorum promotionea.* Nam non curatur scientia, spernitur sapientia, & consilia sapientum, si qui fuerint, contemnuntur. Et jam *in omni politia nummosi, dolosi, sapientibus præferuntur.* Multum vilipenditur, cujus compensa non potest auro aut pretiosis lapidibus comparari. Sed cesset nunc prolixior locutio, ad alia jam procedam.

Ejus fructus.

Nummosi, dolosi, sapientibus olim prælati.

Distinctio VIII.

Variæ circa illud tempus ortæ sectæ, Conradi Fabri, Wiclefi, Husfi, & Hieronymi Pragensis, commemorantur.

Ignorantia principium erroris.

Hujus sapientiæ atque *scripturæ sacræ ignorantiam* intellectus comitatur *arrogantia.* Unde novitates pullulant, oriuntur hæreses, *schismata* & errores quamplurimi, qui me destruunt & annullant, & te confusioni notoriæ subjiciunt. Unde *infamia* sequitur, & rumores pessimi in exteras gentes evolant, quibus, sive veri, sive falsi sint, leviter adhibetur fides, juxta illud *Virgilii in Æneidos:*

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo,
Tam ficti praviq; tenax, quam nuncia veri.

Fama celeritas.

Fama ambiguitas.

In

In tantum etiam fama increvit, ut non modo Christiana religio, sed & omnis paganorum atque Judæorum secta de nostris errorum ac hæresum vatibus exultent, & de eorundem falsiloquis sententiis joculentur, cum per omnia & in omnibus me tam crudeliter scissam atque laceratam intueantur.

Judei rident Christianos ob hæreses.

Non tantum in una mundi parte, sed & in omnibus fere mundi climatibus, errores & hæreses seminantur, & in tantum ratificantur, ut etiam evelli quacunque vi non possint, cum ex virga sit arbor facta. Nunc etiam verificatur dictum Doctoris gentium, ad Timotheum scribentis: *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum desideria sua coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Et ad Ephesios scribens reddidit nos cautos, dicens: *Non circumferamur omni vento doctrinæ, & nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris.*

Totus Christianismus schismatibus refertus.

Sed ista præmonitio parum valet, nihilque prodest, cum omnis religio, *tota* quoque *Christianitas*, ut obtutibus claret manifestis, *hæresibus & schismatibus* sit *referta.* Sed forsan fides his graviter adhibetur verbis, transeamus igitur, videamus, num ut dixerim, ita sit, lustremus secula, adeamus provincias orbis, & num mendacia protulerim, advertamus.

Sed considero, qua in mundi parte primo incipiam magistros errorum elicere, an in *Almania*, an in *Anglia*, aut in *Bohemia*, in *Europa*, aut *Africa*, aut ceteris hujus mundi partibus.

Religionis mutatio in Sangerhusen.

Sed ne immorer, sit in *Almania* sermonis initium. Illud igitur *Thuringiæ oppidum Sangerhusen* adeamus, in quo *Conradus Faber*, hæresiarcha, in se primo hæresi maculatus, dehinc alios, viros videlicet & mulieres, perfidia sua defœdans, maledictum post se semen dereliquit, variis mixtum & denigratum erroribus & hæresibus. Hi mente cœca perstrepunt, ut novi quid evomant contra sanctam tuam religionem.

Conradi Schmed nova dogmata.

Baptisma expirasse,

Baptismatis sacri undam expirasse, novumque incepisse sacramentum, quo cetera legis tuæ sacramenta omnia sint revocata. Nam pro baptismi sacramento *sanguinis* posuere *sacramentum*: novella decepti secta. Et reliqua *cassata*, quæ ex latere tuo fluxere *sacramenta*, impudenter proloqvuntur. De cujus *secta* multiplicitate scribere plura horreo, ne & ipse aër maculetur ex tam periculosa hæreticorum præsumtione.

Unum & Novum sacramentum sanguinis flagellantium.

Qui *Conradus* & sese Eliam vocavit, & Enoch, spiritumque habere Prophetarum. Cui & Pater tuus in divinis primum dederit judicium, ut vivos judicet & mortuos. Cum tamen nos recta teneamus fide, patrem tuum tibi omne judicium tribuisse.

Sed prodeundum est ad alias terras. Percontemur, an *Angliam* errores infament aut hæreses. Sed certe nisi publica testis esset fama, posset denegari à tantis viris, quos *Angelicos* sanctus *vocavit Gregorius*, hæresis aut erroris macula, aut aliqua notabilis nota, quæ fidem sacrosanctam infringere videretur.

Angli Angelici dicti.

Secta Johannis Wicklef.

Novimus *Johannem Wickleff*, virum diabolico deformatum instinctu, hæresiarcham, & damnatum, quem iidem *virum pronunciant Evangelicum*, qui tot hæreses & errores diffudit in mundum, ut & tota Anglia & ceteræ provinciæ per illum sint infectæ.

Wicklef Vir Evangelicus dictus.

Hic circa venerandum corporis tui *sacramentum* quanta sparserit sata, ipse nosti. Religionem tuam, fidemque sanctam tuam, in qua salus tota consistit, diffringere non abhorrens, ceterosque tam squalido dogmate suo alliciens, plerosque decepit, & per suos sequaces fallere non desistit.

Wiclefita Johannes Hus & Hieronymus Pragensis.

Ab eodem tanquam venenato fonte, rivus exortus est, omni prorsus virus & toxico repletus, qui *Bohemiæ* regnum lustrat universum. Unde duo amarissimi processere fluvii, *Johannes* videlicet *Hus* & *Hieronymus de Praga.* Qui suis erroribus & hæresibus, pessimisque machinamentis cædem magnam in Christiano populo effecerunt, sanguinis etiam effusionem nimiam procurarunt, Studiumve solenne præfatis erroribus & ambagibus destruxerunt, quod quasi mater electa multos pepe-

peperit filios, tuæ religionis amatores.

Wenceslaus, Rex Bohemiæ, Husi defensor.

Et ut plerorumq; asserit eloquium veracium. *Rex Wenceslaus* prædictorum affirmatur sustentator & defensor, quem tu culmine tanto prætulisti, ut mei esset protector, in Imperatorem electus, ut me defendetet suo sibi commisso gladio, ut schismata pelleret, errores tolleret, atque hæreses discinderet manu forti. Quondam infelix *Theodoricus* hæresin defendit Arrianam, sanctum *Papam Johannem* interficiens, & patritium urbis Romæ sanctum *Boëtium* una cum aliis morte crudeli persequens, pro sancta religione tua. Et *Julianus* apostata eandem tuam persecutus est fidem, multos pro nomine tuo martyres efficiens.

LIBER QVARTUS.

Concilium congregandum aptissimum malorum tollendorum remedium sollicitæ Ecclesiæ subministratur.

METRUM.

Solatia Christi Ecclesiæ data, ad serenam emendationis spem.

MOrdet perpetuo tua morsu pectora *cura*,
Finem nec capiet, donec tibi vita supersit.
Decidat hinc dolor ipse prius, pereat *dolor* ipse,
Qui si *longus* erit, *nulla medicabilis arte* est.
Cerno sed expertus, post gaudia plura repleri
Mentem gaudentem luctu magnoque dolore,
Quam dolor ex magno plausu major comitatur.
Dulcius hic nihil est, quam gaudia nulla petisse.
Hinc cesset *dolor*, hinc planctus, *quo vita senescit*,
Inque senem juvenem mutat, jam morte cadentem.
Et *desperatos dolor efficit inveteratus*.
Se perimit, alios trucidat. Sic desperatio lædit.
Dulcibus hinc verbis te solor carmine dulci.
Tempore jam diro grandi submersa dolore,
Audi consilium, verus quod mittit amicus.
Illud *amicitiæ* cunctis optabile *nomen*,
Firmum percipies, quavis formidine pulsa.
Tempore nam fusco solet omnis cedere falsus:
Sed *verus semper manet immutatus amicus.*

PRO-

PROSA LIBRI QUARTI.

De Concilii ope in corruptione publica.

DISTINCTIO I.

De primis Ecclesiæ schismatibus, concilii beneficio sublatis.

Pergeradmirabilis cœlorum stellarumque dispositio pulchritudine quadam præclarissima decorata, sapientiam atque intellectus divini venustissimam subtilitatem prænunciat. Quibus, ut omnis retur humani perspicacitas ingenii, mundus iste ordinatione pulcherrima conditus est propter orbis inferioris convenientiam placentissimam: Ut *hierarchia terrestris* divinæ præ omnibus conformetur venustati, & ordini deiformi. Ad cujus conformitatem tota hæc principum machina dirigitur, tendens in supremum opificem, candorem lucis æternæ, qui est fons sapientiæ & verbum Dei in excelsis, Deus de Deo, lumen de lumine, claritas de claritate, de patris substantia genitum verbum, non factum. Et id me tuum sponsum amantissimum esse, summo comprobare debes eloquio, qui propter tuam dilectionem nimiam ex inviolato puellari thalamo carnem mundissimam assumsi, ut te mihi raptam injusta quadam violentia spolio dulcissimo atque justissimo illi, qui te ceperat, eriperem, carne suffultus humana: Consilio ad hoc Patris mei accepto pro *reformanda perdita creatura.*

Christus reformatur.

Cum igitur in cœlis & in terris horrenda fuerint *schismata*, inita sunt pro illius summi schismatis exterminio *salubria* multorum *consilia.* Ut & schismatis impii effectores pœnam luerent, & pellerentur, & pax atque unio firmissima poneretur.

Concilia schismatum antiqua remedia.

Sic ergo contra schismata per *concilia* procedendum est, ut quod plurium consensu distractum est, plerorumque consultu recolligatur. In omnium ergo schismatum, errorum atque hæresum exterminatione *conciliis* usi sunt sancti Patres. Quorum autoritatem à fonte sapientiæ, sanctissima hausere Trinitate, sicut in exordio collationis dixeram.

Primum schisma fuit *sub Lucifero*, qui *concilio* beatificantis essentiæ divinæ in baratrum missus est inferorum. Ad cujus expulsionis effectum & concilii complementum penitus consequendum missus est Archangelus Michael, qui *auctore schismatis* in ima detruso pacem ordinavit. *Schisma sub Lucifero.*

Hic noscens in paradiso positum agricolam, qui quanquam immortalis gratia Dei factus fuerat, sua tamen natura fragilis erat: Hunc adiit *lucifer* ille, *schismatis cœli primicerius*, & ut ipsum de solio ejiceret paradisiaco, *schisma* fecit *inter creatorem & creaturam.* Cujus impio suasu ejectus est à tam præclara deliciarum suavitate cum tota generis humani posteritate. *Schisma inter creatorem & creaturã.*

Unde condolens, tanto interitu mortis perire seculum, convocato in cœlis *concilio* missum est ad virginem quandam, ut pacis & concordiæ unitas reformaretur inter patrem meum ipsamque destructam creaturam. Unde factum est, ut post mirabilium operum consummationem gens mea me cruci affixerit, & tertia die resurgens primum parentem cum suis, qui mihi complacuere, ex inferorum educerem loco, & in cœlum eveherem triumpho glorioso. Sicque *schisma Luciferi* compescui, ipsum religans usque ad secundum judicium in adventu meo. *Concilii cœleste de Christo mittendo.*

Qui quanquam sic nexu sit ligatus firmissimo, suos tamen postea in mundum misit angelos, ut pacem, quam reliqui discipulis meis, perturbarent. Nam sicuti in Hierosolyma *schisma* fuit *inter Judæos*, ut me morti traderent, & ibidem suspensus in cruce omnia pacavi, humi suffossa Synagoga, atque jam abjecta: Sic & facta est *seditio inter discipulos* meos de legalium celebratione. Descenderunt enim quidam *Schisma inter Judæos.* *Seditio inter Christi Discipulos.*

dam de Judæa, Christiani, sed adhuc judaizantes, qui de secta Pharisæorum erant, inter quos facta est seditio atque schisma non modicum cum Paulo & Barnaba, quod prædicabant Pharisæi, fidem absque legalibus non sufficere. Et consenserunt eis multi, veteri consuetudine irretiti. Et statuerunt, ut pro hoc schismate dirimendo *concilium* celebraretur *in Hierosolyma*, coram majoribus Apostolorum, Petro videlicet & Jacobo, Hierosolymorum Episcopo.

Concilium Hierosolymitanum.

Anno igitur Claudii IV. ascendit *Paulus* cum Barnaba, assumto Tito, sicut ipse refert *in Ep. ad Galat.* Et qui descenderant de Judæa, ascenderunt contra eos, sive de hæresi Pharisæorum ad fidem conversi. Qui cum venissent in præsentia Apostolorum, Petri & Jacobi, & seniorum, surrexerunt contra Paulum & Barnabam, dicentes: *Oportet circumcidi fideles, & servare legem Mosis.* Et audita utriusque partis sententia, convenerunt Apostoli & seniores, ut judicarent super hoc. Et post multam disceptationem surgens Petrus ostendit rationabiliter, non esse imponendum fidelibus jugum legis. Quod ipse consilio Dei baptizaverat Cornelium, & Deus prædicationem suam confirmaverat, mundans corda eorum, & antequam baptizarentur, visibiliter mittens Spiritum Sanctum super eos, nec indicens eis observantiam legalium. Et statim incepit *Paulus* & *Barnabas* narrare, quanta signa & prodigia Deus fecerit in gentibus per eos. Posthæc *Jacobus* autoritate Pontificali protulit sententiam definitivam dicens: *Ego judico, eos, qui de gentibus convertuntur, non cogi ad gravitatem legalium.*

Et sic *schisma per concilium abrogatum est*, & pax atque unio fidei confirmata. Hinc etiam *Petrus* à Paulo arguitur, quod comedens cum quibusdam fratribus de Judæa, timens eos molestare, discernebat cibos, & ita gentes suo cogebat exemplo judaizare. Sed hæc locum hic non habent, transeundum est ad alia.

Distinctio II.

De Quatuor conciliis oecumenicis, olim habitis.

POst hæc pleraque sunt habita *concilia*, sed non sine rationabili causa, propter multos errores, & hæreses varias, quæ ex incautis & perversis dogmatibus pullularunt. Quæ omnia, ut acta sunt, enumerare nimis esset prolixum. Sed ut breviter edisseram, pro majoris certitudine fidei, tuæ menti imprimendæ, citius quo potero pluro ex his enarrabo.

Ne igitur tibi mihique deessent æmuli, *Johannes in Apocalypsi* illorum ponit hæreses, & *in Canonica* sua. Contra quorum falsam sententiam ipse tanquam pugil fortissimus triumphavit, Sancti Spiritus & Ecclesiæ fretus consilio.

Paulus Samosatenus.

Postea *Paulus* quidam, *Samosatenus* genere & *Episcopus Antiochenus*, Demetrio successit Episcopo. Hic indigna de me sentiens, utpote tumidus & superbus hæreticus, prædicabat, me hominem tantum communis fuisse naturæ. Contra quem *Antiochenum concilium* congregatum est, in quo idem *Paulus* manifestus convictus hæreticus & condemnatus. Qui condemnatus cum Ecclesia nollet exire, ex præcepto Aureliani manu publica expulsus est.

Concilium Antiochenum.

Deinde currente tempore sub magnifico & illustrissimo Rege *Constantino* in urbe *Roma* congregatum est *concilium:* An lex Judæorum legi novæ debeat anteferri. Erant ibi Episcopi Christiani provinciarum diversarum LXXV. Judæorum vero sacerdotes CCXX, exceptis XII. scribis, quos Isachar Pontifex misit altercandi gratia, nonsolum Hebræo, sed etiam Græco & Latio sermone elimatos. In quo concilio *Constantinus* & mater ejus fuerunt auditores, judices vero *duo philosophi*, qui nec Judæi erant, nec Christiani. Quorum unus *Crathon*, alter *Zenophilus* dictus est. In quo conflictu Judæi victi sunt, & fideles effecti, unum ovile factum est una cum infidelibus, ex gentibus conversis, & crevisti tu mirabiliter ex illius concilii conventione.

Concilium Romanum sub Constantino.

Postea

Canones Conciliorum.

Postea ejusdem *Constantini* tempore, *canones generalium conciliorum* inceperunt. Nam præcedentibus annis persecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Christianitas in diversas hæreses scissa est, quod non erat Episcopis licentia conveniendi in unum, nisi tempore supradicti Imperatoris. Ipse enim dedit facultatem Christianis libere conveniendi. Sub hoc autem, in *concilio Niceno*, sancti Patres, de omni orbe terrarum convenientes, juxta Evangelicam fidem & Apostolicam, secundum post Apostolos symbolum tradiderunt.

Docendi facultas Ecclesiæ data sub Constantino.

Concilii Nicæni. Symbolū Nicænū.

Arrius damnatus.

In eodem Arrianæ perfidiæ condemnata est blasphemia, quam de inæqualitate sanctæ Trinitatis idem *Arrius* asserebat. Prædicabat enim, me filium Dei creaturam esse, & Spiritum Sanctum ab eo creatum. Et cum has faceret differentias inter Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, *Alexander*, *Alexandrinæ urbis Episcopus*, resistebat. Sed cum illum ab exitiali errore revocare non posset, expulit eum ab Ecclesia sancta. Ille vero seditionem contra eum excitavit.

Alexander Episcopus.

Concilii universale primū Nicænū.

Quod audiens pius Princeps *Constantinus*, sanctam Synodum apud *Nicæam Bithiniæ urbem* fecit coadunare, *anno* incarnationiis meæ *CCCXVI.* Convenerunt CCC XVIII Episcopi. Et hæc fuit *prima Synodus universalis.* Jam *Sylvester Papa* mortuus fuerat, ut ait *Hugo.* Sed in *Pontificali* dicitur *Sylvester* ibi adfuisse, & contra *Arrium*, *Photinum* & *Sabellium* in urbe præfata Synodum celebrasse & præfatos hæreticos ibidem cum aliis Episcopis condemnasse.

Concilii universale secundum Constantinopolitanū.

Secunda universalis synodus in *Constantinopoli*, CL patrum, temporibus *Damasi Papæ* & *Gratiani* principis, contra *Macedonium*, Spiritum Sanctum Deum esse negantem, congregata est, quæ Spiritum Sanctum Patri Filioque consubstantialem demonstrat.

Concilii universale Tertiū Ephesinum.

Tertia synodus Ephesina prima, CC Episcoporum, sub juniore *Theodosio Augusto* edita est, quæ *Nestorium*, duas in Christo personas asserentem, justo damnavit anathemate, declarans, in duabus naturis unam Christi Jesu personam manere.

Chalcedonense quartum.

Quarta synodus Chalcedonensis, sexcentorum triginta sacerdotum, sub *Marciano Principe* habita est. In qua *Eutichen Constantinopolitanum Abbatem*, verbi Dei & carnis unam pronunciantem naturam, & ejus *Dioscorum* defensorem, quondam *Alexandrinum Episcopum*, & ipsum rursus *Nestorium Episcopum*, cum reliquis hæreticis, patrum sententia condemnavit, prædicans eadem synodus Christum Dominum sic natum de virgine, ut in eo substantiam & divinæ & humanæ confiteamur naturæ.

Hæ sunt *IV. synodi principales*, rectam fidem plenissimè prædicantes. Cætera vero *concilia* post istorum quatuor autoritates omni manent stabilita vigore.

DISTINCTIO III.

De schismatibus variis in prima Ecclesia, iisque extirpatis per concilia.

CÆteris breviloquii gratia dimissis, ut solatii eo satius carmen tibi valeam infundere, omnia, quæ ab orbis initio fuere hæreses & schismata, cassata scias, & annullata; *Hoc* jam demto *periculoso*, cui insudamus, *schismate*, & erroribus atque malitiis, quibus præsentis temporis innititur malorum ac hæreticorum versutia. Qui & quæ veluti reliqua sunt, annullata schismata, & hæreses atque errores eradicati sunt. Sic & istud *exitiale* destruetur *schisma* cum suis pessimis, quæ allegasti, malis hæresibus atque erroribus.

Schisma sub Constantio Imp.

Nam *primum schisma post Apostolos*, si non fallor, factum fuit *tempore Constantii Imperatoris*, *anno* nativitatis meæ *CCCXL.* hæresi Arriana infecti, sub *Papa Liberio*, qui in exilium propter religionis meæ fidem ivit. In cujus locum subordinatus est *Felix*, venerabilis sacerdos. Fecit igitur *Felix concilium* XLVIII Episcoporum, & invenit duos presbyteros, consentientes Constantio Arriano Augusto, *Ursacium & Valentem*, &

Concilii Felicis Papæ.

& damnavit eos. Post paucos vero dies provocati contra Felicem rogaverunt *Constantium*, ut de exilio revocaret *Liberium* tanquam magis consentaneum. Sic igitur revocato Liberio *Felix* de Episcopatu pulsus est.

Quot etiam persecutiones propter *Arrianam hæresin* tempore *Honoricii Wandalorum* tu perpessa fueris, si scriberem, longiloqvus nimis viderer. Contra quem impium Regem sanctus *Eugenius* cum suorum orthodoxorum sacerdotum concilio sanctam declaravit fidem meam, Arrianos confutans & condemnans. Post cujus sanctæ fidei expositionem miserabiliter proscripti sunt & expoliati quibus etiam omnis vitæ alimonia negata est, & demum multi ex eis viri sanctissimi miseranda morte periere.

Concilii Eugenii Papæ.

Hæc secreta Arrianorum, perfidiæ atque crudelitatis plena. *Recaredo* regnante *Wisigotharum*, *synodo* LXII Episcoporum apud *Toletum* congregata, damnatur & anathematizatur, & tota gens ejus in fide catholica confirmatur.

Synodus Toletana.

Neque evasit impune præfatus hæreticus, & impius *Arrius*. Nam cum post solennem doctissimi viri *Athanasii* disputationem qui eundem in conventu publico manifestissima convicit veritate, venerabili viro, probo & gentili arbitro seu judice constituto, secessum iret, in sua malignitate permanens effusis visceribus justissima morte pœnam exsolvit, tam horribiliter moriens, quam insatiabiliter & temere contra personam Christi perfidiam evomere non timebat.

Athanasii disputatio mascula.

Arrii exitium.

Eo etiam momento, & eadem disputatione, *Photinus & Sabellius* convicti sunt in tam venerabili *concilio*, ubi prædictus vir eloquentissimus *Athanasius* præsidebat, qui tanquam solis luculentus radius te sponsam meam fulgentissimo decorabat splendore.

Photinus & Sabellius damnati.

Postmodum tempore *Theodosii Senioris*, qui regnare cœpit anno à nativitate mea CCCLXXXVII, *Damasus Papa* in Romana cathedra præsidebat. Quem sibi prælatum arrogans non ferens *Ursinus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus*, congregata turbulentorum atque seditiosorum manu, Episcopum se contra justitiam fecit consecrari. Quare tanta in Romano populo excrevit *seditio*, ut templa mea atque monasteria humano effuso sanguine replerentur. Sed ne nefas illius sustinerem, collecto sanctorum *concilio* sacerdotum, idem pulsus est *Ursinus* ab Apostolica, quam sibi nequiter usurpabat, dignitate.

Damasus Papa.

Ursinus.

Episcopus seditione factus.

Ursinus sede motus.

Dehinc *Anastasio* ab Augusto assumto, qui Imperialem accepit purpuram anno à nativitate mea CCCCXCIII & regnavit annis XXV. Hic, a *Bachario* depravatus Episcopo Constantinopolitano, hæreticis favebat, persequens orthodoxos. Hujus *Anastasii* tempore *Symmachus Papa* floruit. Hic cum *Laurentio* uno & eodem die ordinatus est. Sed *Symmachus* in basilica Constantiniana, *Laurentius* in Ecclesia Beatæ Mariæ. De qua causa clerus turbatus est, & separatus, divisus etiam est & senatus. Alii *Symmachi*, alii partem *Laurentii* tenuerunt. Facta igitur conventione, hoc statuerunt partes, ut ambo *Ravennam* pergerent ad judicium *Regis Theoderici*. Ubi judicatum est, ut qui primo ordinatus esset, vel ad quem major pars declinaret, ipse sederet in cathedra. Et factus est *Symmachus* Papa. Qui fecit *synodum* congregari, & constituit Laurentium in Miterinam civitatem Episcopum, intuitu misericordiæ.

Symmachus Papa.

Synodus Symmachi.

Post annos verò quatuor zelo ducti nonnulli ex clero, & aliqui ex senatu, maxime tamen *Festus & Probinus*, incusaverunt Symmachum, & subornantes testes falsos, quos Ravennam miserunt ad Regem Theodericum, criminantes beatum Symmachum, occulte Laurentium revocarunt.

Libello igitur facto Romæ, factum est iterum *schisma*, & divisus est clerus. Alii Symmacho, alii Laurentio adhærebant.

Illo tempore *Symmachus fecit concilium*, & coadunavit Episcopos CXV. Factaque synodo purgatur à crimine falso, damnaturque *Laurentius, & Petrus Altinensis*, quod sedem Apostolicam invito Symmacho invaserant. Et sedit *Symmachus* vicarius meus in gloria & honore.

Pro-

Procedente tempore sub *Maurii* imperio *schisma* factum est inter Romanam Ecclesiam, & arrogantiam *Johannis Episcopi Constantinopolitani, universalis patriarchæ* nomen sibi usurpantis. Sub *Papa Pelagio* conceptum, & à *Gregorio* jam inde non leviter exagitatum. Sed consilio meo urgente, quod schisma ante quiescere non poterat, nisi *Johannes* diem clauderet extremum, morte subita in peccati sui pœnam expiravit.

Universalis Patriarcha.

Distinctio IV.

De schismatibus Pontificum Romanorum, usq; ad seculum XIV.

Nec quievit *ambitio* adversus sanctam religionem, fidemq; meam, te quoque sponsam meam dulcissimam.

Nam *anno* à nativitate mea *septingentesimo*, Paulo Papa mortuo, sub Constantino Leonis filio, *Constantinus* Pseudo quidam sacerdos ordinatur ex laico. Hic *ambitione tyrannica* papatum invasit, & mihi scandalo magno fuit, seditque anno uno & mense uno. Qui fidelium meorum zelo ejicitur à papatu oculis privatus.

Constantinus Papa.

excœcatq.

Stephanus quoque substituitur præsul XCII. Hic *Romæ concilio congregato* omnia per Constantinum ordinata revocat, præter baptismum & chrisma. Et cessavit quassatio ad tempus, & tempora longa.

Stephanus Papa.

Inde sub *Ottone primo*, anno nativitatis meæ DCCCCXXVIII, qui imperavit annis XXXVI, collecto e tota Italia Episcoporum *concilio, Johannes Papa* de nefariis causis infamatur.

Johannes Papa.

Quapropter *Leo* adhuc laicus, electione omnium & consensu Imperatoris, *Papa* substituitur. Sicque *Leo* præsidens Apostolicæ sedi fecit ordinationes, & ea, quæ erant Pontificis summi.

Leo Papa.

Nec diu post Romani, alterata fide apud Imperatorem, *Papam Johannem* recipiunt. Qui *collecta synodo* Leonem deposuit, ejusque facta cassavit. *Synodus* vero à Leone habita, omnium judicio *prostibulum*, favens adulteris, est nominatum. Illi igitur, qui ab eo fuerant ordinati, jussi sunt suam proscriptionem in charta præsentare, hæc verba continente: *Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit.*

Romana Synodus prostibulum.

Proscriptorum formula.

Romani igitur, Johannis illecti pecunia, Imperatorem cum exercitu pauco Romæ morantem subito aggressi, ita ab Imperatoris armigeris sunt attriti, ut nisi ab Imperatore & à Papa Leone milites Imperatoris â cæde revocati, usque ad internecionem Romani essent deleti. Quibus per Leonem Imperatori reconciliatis, *Leo Papa* insidias sibi parari sentiens ad Imperatorem fugit.

Johannes vero *Papa* se cum uxore cujusdam oblectans à Diabolo in tympano percutitur, ac sine viatico moritur.

Johannis Papa interitus.

Hinc *Romani contra juramentum Imperatori factum Benedictum Papam sibi præfecerunt.*

Romani juramentum Imperatori datum frangunt.

Quapropter *Imperator* obsessa Roma Romanos adeò cæde & fame afflixit, ut Leonem Papam se promitterent recepturos. Sicque *Benedictus* rejectus, non solum papatu sed etiam sacerdotio à Leone exordinatur, & ab Imperatore in carcere strangulatur.

Imperator vindex.

Postea tempore *Henrici tertii*, qui cœpit regnare anno ætatis meæ MXL & regnavit annis XVII, hujus Imperii anno sexto, *Benedictus nonus* Papatum sibi *Simoniace* usurpaverat. Cumque esset *indoctus*, alterum ad vices officii Ecclesiastici exequendas secum *Papam Sylvestrum* fecerat consecrari. Quod cum multis non placeret, tertius superducitur *Gregorius*. Qui solus vices duorum adimplevit.

Benedictus IX Papa Simoniacus & indoctus.

Sylvester Papa.

Gregorius Papa.

Itemque *ejusdem Imperatoris* anno VIII. Romæ uno contra duos, & duobus contra unum de papatu contendentibus, *Rex divino functus consilio, Romam contra eos vadit. Et eisdem canonica & imperiali censura depositis, Clemens Papa* CLIIII. præsidet. Et ab eo Rex in Imperatorem benedicitur, *jurantibus Romanis, se sine ejus consensu Papam non electuros.*

Imperator Pontifices deponit.

Clemens Papa.

Juramentum Romanorum, Imperatori factum.

Huic Imperatori Henrico cum succederet *Henricus quartus*, qui regnavit annis

annis multis, factum est schisma periculosissimum, dum *Papa Papam excommunicat*, *Gregorius* videlicet *Clementem* & è contra, uno pro Papa elevato, altero per Regem Apuliæ contra alium defensato.

Papa Papam excommunicat.

De hoc *Gregorio* refert *Martinus* in chronica sua, quod idem *Gregorius* Henricum tertium excommunicaverit concilio CX. Episcoporum. Quamvis aliter senserit *Sigibertus*, quod unitatem Ecclesiæ Romanæ scindere voluerit. Postea *electus est Guibertus*, *consensu Imperatoris*, qui *Clemens* dictus est. Et ab eodem Henricus Imperator coronam accepit imperii, Gregorium in castro Angeli obsidendo. Sed audiens Imperator, Guiscardum Regem Apuliæ Gregorio succursurum, cum suo Clemente antipapa fugit Senas. Quem Rex Apuliæ liberando ab obsidione in palatio Lateranensi restituit. Qui post in Apuliam descendens Salernæ mortuus est, miraculis coruscando.

Gregorio Henricũ III. Imp. excommunicat.

Clemens Papa.

Postmodnm *Innocentio Papa* Catholico præsidente *Petrus Leonensis* schismaticus ipsum perturbavit. Ad cujus schismatis pestem sedandam vocatus à Clarevalle *Sanctus Bernhardus* multum laboravit, multum profecit.

Innocentius Papa.

Qua de re convocato apud Stamphas *concilio* sanctus Bernhardus Innocentium suscipi persuasit. Petro igitur ob parentelæ suæ fortitudinem apud sanctum Petrum commorante, Innocentius urbem egressus in Gallias proficiscitur.

Ecclesia Gallicana ipsi adhærente, *concilium* celebratur, & in Papam confirmatur. *Petrus* vero ab omnibus Galliæ ac Germaniæ Episcopis anathematizatur. *Innocentius* igitur *Aurelianus à Ludovico Francorum* Rege honorifice susceptus est. Inde Carnotum deductus est à *Ganfredo Carnotensi Episcopo*, magnarum virtutum viro. Ubi occurrit ei *Henricus Rex Anglorum*, & honorifice ab eo receptus est.

Concilũ Gallicanum.

Cumque per multa tempora pax esset & unio, sub *Friderico primo* anno ætatis meæ M CLVIII. *Adrianus Papa* præsidebat, & anni præfati Imperatoris secundo mortuus est. Quo mortuo maxima tibi mihique supervenit tribulatio. Cardinales enim ad invicem divisi duos elegerunt sibi summos Pontifices, *Rolandum* videlicet Cancellarium, qui *Alexander* dictus est, & *Octavianum*, horribili schismate te sponsam meam dirumpentes. Unde proceres regionum diversarum turbati sunt. Nam quidam uni, nonnulli alteri adhæserunt. Imperator siquidem Romanus cum suis Episcopis *Octaviano*, quem *Victorem* nuncupaverunt, adhæsit, Rex vero Francorum Ludovicus, & Rex Angliæ Henricus, cum suis Alexandrum in patrem & Dominum susceperunt.

Cardinalium dissidium.

Alexander Papa.

Victor Papa.

DISTINCTIO V.

De Schismate seculi XIV. tempore Johannis XXII.

Clemens V. Papa.

POsthæc vacavit imperium, anno videlicet incarnationis meæ MCCCV. & electus est *Clemens Quintus* in Papam. Hic *Clemens* sedit annis VIII, mensibus X & diebus XV. *Vacavit* autem *sedes* annis duobus, mensibus tribus, & diebus XVII. Cujus ratio fuit hæc:

Defuncto *Papa Clemente Quinto*, Cardinales numero XXIII, qui apud Carpentoracem civitatem cum alia curia residebant, intrarunt conclave in episcopali palatio, pro summi Pontificis electione facienda. Cumque ibidem diu perstitissent, non valentes concordare, suborta gravi & grandi perturbatione exterius inter familias eorum, ex ipso conclavi circa festum Mariæ Magdalenæ concorditer exiverunt, statuentes tempus, intra quod deberent regredi in eundem locum, pro summi Pontificis electione celebranda. Sed variis subortis quæstionibus minime redierunt, sed in villis diversis, & civitatibus hinc inde dispersi sunt. Permanserunt autem sic divisi annis plus quam duobus.

Cardinalium dissensio.

Fuga ex conclavi.

Postea *Lugduni* convenerunt, & *Jacobum Episcopum Portuensem* elegerunt, anno nativitatis meæ MCCCXVI, & vocatus

Jacobus Portuensis.

Johannes XXII. Papa.

catus est *Johannes XXII.* Fuit autem *coronatus* more Romanorum Pontificum *Lugduni* cum solenni honore in Ecclesia cathedrali, anno incarnationis meæ MCCCXVII.

Adversarius Ludovici Imperatoris.

Hic Pontifex summus plures constitutiones edidit utiles & salubres *contra Ludovicum Bavariæ ducem*, qui in contrarietate in Imperatorem fuit electus, & se pro Imperatore gerebat, sed ejus electio per sedem Apostolicam non erat approbata. Idem *Imperator ad sedem Apostolicam citatus* non comparuit. Hinc *excommunicatus* fautor & defensor hæreticorum adjudicatus est.

Excommunicavit Imperatorem.

Qui *Ludovicus* malorum pessimo usus consilio contra eundem summum Pontificem vicarium meum, & adversus te sanctam sponsam meam multipliciter, crudeliter & barbarice se erexit. Veniensque Romam, quendam pseudo antipapam, cui nomen *Petrus de Cerbario*, Reatinæ urbis, *de ordine fratrum Minorum*, in Papam assumsit, anno nativitatis meæ MCCCXXVIII in mense Maji.

Ludovico Imperator constituit aliũ Papam.

Papa habuerat uxorem.

Qui ante quam habitum assumeret Minorum, uxorem habuit nomine Johannam, cum qua in conjugio vixerat annis quinque. Qua derelicta, ruptoq; conjugali fœdere, *frater Minor* factus est.

Hoc assumto in summum Pontificem, tanquam Papæ reverentiam idem Dux Bavariæ exhibuit, in dedecus meum, scandalumque tuum, o sponsa dulcissima.

Nicolaus V. Papa.

Fecitque se à suis *Nicolaum Quintum* vocari. Hic idem impius antipapa, tanquam leo rugiens, atque draco ignem evomens, in opprobrium urbis Romanæ, & in ipsa urbe pro Papa se gerebat, & in eadem sua crudeli vesania creavit Cardinales, & conabatur, in quantum valuit, sanctam unionis discindere pacem, veluti minister, membrum & *præco manifestus* impiissimi *AntiChristi.*

Creavit Cardinales.

Minister AntiChristi.

Papæ uxor redditur.

Hujus perversissimi hominis uxor *Johanna* ipsum antipapam repetiit in judicio coram Episcopo Reatino, oblato libello. Et pro Johanna contra sæpe dictum AntiPapam lata fuit sententia publice, juris ordine servato, penultima die mensis Novembris anno incarnationis meæ MCCCXXVIII.

Papa captus.

Idem quoque Antipapa per Bonifacium comitem Domino Johanni, vero meo vicario, præsentatus est. Qui ipsum misericorditer recepit. Sub fidei verò custodia Avinione tentus est. Ubi & diem clausit extremum.

Vis conciliorum.

Consilii virtus.

Et sic cessavit discordia, & pax facta est usque in *præsens schisma.* Si quæ alia fuerint schismata, istis adjiciantur. Quorum omnium eradicatio nec non extirpatio manifestissime facta claret vel *conciliorum congregatione*, vel quorundam *virorum idoneorum*, *consilii promtitudine pollentium*, ad hoc vocatorum, qui prædicta schismata omnino cassarunt, & penitus annullarunt.

DISTINCTIO VI.

SIGISMUNDUS IMPERATOR, Concilii Constantiensis Conciliator, extollitur.

NUnc ergo, o mi sponsa dilectissima atque dulcissima, per ea, quæ supra dicta sunt, claret, omnia per fidelissimos nostros servos schismata priora penitus cassata & abrogata.

Ut igitur & *hoc* etiam horrendum & periculosum, inveteratum quodammodo & exitiale, *currentis temporis schisma tollatur* è medio, & senescentis erroris malitia conculcetur, cætera etiam intercurrentia nefanda, prout tu de multifariis periculis & sceleribus superius proposuisti, eliminentur, *suscitavi spiritum Danielis*, qui Susannam innocenter morti damnatam liberabit. Cujus angustiæ ineffabiles tempore suæ tribulationis extiterant, cum ab illis *senioribus, qui populum regere juste videbantur*, iniquissime fuerat judicata, plurimis scandalis infamata.

In Sigismundo Daniel, Ecclesiæ vindex.

Excitavi, inquam, *novum Regem David*, qui populum meum de manibus suorum eruet æmulorum. *Elegi* enim, abje-

David.

abjecto Saul, *virum secundum cor meum*, Virum, inquam, manu fortem, qui ursum interfecit, & leonem occidit. Gigantem etiam, inermis armatum, lapidibus limpidissimis interemit.

Hector, *Hector* jam fortissimus *surrexit à mortuis*, ut matrem suam Hecubam Reginam ab incidentibus inimicorum periculis defendat.

Carolus M. *Carolus magnus*, spreto sororis & quietis tumulo, una cum *Rolando* bellicosissimo milite descendit in medium, ut te sponsam mihi dilectissimam *gladio cœlitus misso* protegat, & cuncta tibi adversantia sepellat.

Mercurius, *Mercurius Tyro*, inferos spernens, deserens cœlica, armatus novi prodigio miraculi, hasta Julianum interfecturus, ornatissimo procedit intuitu.

Constantinus, *Constantinus, Rex* prudentissimus, mirando functus ingenio, prodit in publicum, te sanctam *reformaturus Ecclesiam*, multorum concurrente scientificorum atque sapientium scientia, quorum *prudentissimo concilio reformaberis*, pacis munere & unitatis plenitudine gavisura.

Theodosius. Properat *Theodosius Rex* inclitus, oratione suffultus devotissima, qua te sponsam mihi dulcissimam contra rebellantes devincat hostes.

Hic revera *illustrissimus* est *Princeps, gloriosus REX, Serenissimus mundi monarcha*, SIGISMUNDUS in IMPERATOREM electus, fidelissimi filii tui *Caroli, Regis Bohemiæ, Imperatoris* semper Augusti, *filius*, qui una cum *Johanne Papa XXIII* concilium generale in *Constantia, civitate Imperiali*, provinciæ Moguntinæ, convocabit. Ubi totius religionis nostræ concurret dulcedo, virorumque illustrium ex omnibus mundi partibus confluet sapientia, pro pacis ac unionis tuæ efficacissima prosecutione. *Sigismundus Concilium Constantiense convocavit.*

De quo non ambigas, cum jam præfatus *summus Pontifex* una cum prædicto serenissimo Hungariæ Rege in *Imperatorem* electo concordaverit de *loco*, ut prædixi, & *tempore*, quod erit *anno* ab incarnatione *Millesimo CCCCXIV. in festo omnium sanctorum.* *Initium Concil. Const.*

Ubi tam periculosi *schismatis*, tanorumq; *malorum*, per te allegatorum, *finis* erit, & in quo spinæ comburentur igne, rosis reservatis, & tribuli destruentur, floribus speciosum decorantibus campum. Et ista dum videris atq; spectaveris, dilatabitur cor tuum præ gaudio ineffabili, gratias multas mihi referes, timore pariter & anxietate penitus extirpatis. *Scopus ejus transquillitas publica.*

DISTINCTIO VII.

Simoniæ & indulgentiarum venundationi in Concilio Constantiensi medendum speratur.

Supr fol. 60. seqq. PLane tibi respondere ad ea quæ proposuisti, non dedignabor, volens, te non ignorare, me nunquam contra veritatem locuturum, neque, quæ falsitatis telo sagittantur, velle, si falsa fuerint, excusare, sed prorsus inhærebo veritati. Quippe non modo tuam auscultavi rationem, sed & testimonium veritati perhibebo. Neque negare debeo, quod radicatum firmasti veritate expertissima, *omnes religionis* tuæ *prælatos, majores cum minoribus, simoniæ vitio irretitos.* *Simonia Ecclesiasticis olim communis.*

Novi equidem, *per avaritiam & Simoniam summos Pontifices electos*, pariformiter & reliquos *ordinatos pro munere Præsules.* *Papæ per Simoniā electi.*

Qui & alios eis subditos in sacerdotes, diaconos, subdiaconos & acolitos ordinant, *prius conventione & pacto strictos*, antequam ordinare illos velint. De qua iniquitatis mammona & *Episcopi*, verique rectores, una cum *capitulis*, partem tollunt. *Conventiones pecuniariæ ante ordinationem sacerdotum.*

Et quod quondam dictum fuit nobile proverbium: *Gratis accepistis, gratis date*; nunc vertitur in vilissimum eloquium: *Gratis non accepi, quod magna pecunia episcopatum emi, neque gratis dabo. Ut effusarum impie refusionem recipiam expensarum. Ordinare te nolo in sacerdotem, nisi aureum dones. Sacramentum ordinis mihi comparavi, dum Episcopus fierem, & illud ejusdem ordinis signum sacrum tibi vendo* *Præclara regula Simoniacorum.*

vendo. Prece & pretio mihi procuravi, rogatu atque munere tibi vendo. Si tantum non dederis, sacerdos non eris.

Si nunc *Simon Magus* viveret, certissime non tantùm Spiritum sanctum, sed & Patrem Deum, meque Dei filium posset pecunia comparare. Emitur ab ingratis gratia, quam non gratiam efficiunt. Nam gratia gratis datur. Cum igitur emitur, gratis non datur. Gratia ergo gratia non est.

Auro olim empta gratia.

Sed quid plura? *Episcopi accipientes pecuniam* pro ordinibus, lepra afficiuntur cum Gehasi; *Ordinati* vero, *dantes* munera, perditioni subjiciuntur cum Simone mago. Cui dixit *Petrus, Pecunia tecum sit in perditionem.*

Simoniacorum, ementium & vendentium, pœna.

Sed quis horum majori pœna mulctatur, an qui lepræ contagio, an qui perditionis jaculo adjicitur? Revera utriusque abhorrenda sententia. Sed ut æstimo, major est lepra, quod quanto status altior, tanto minus gravior. Relinquo tamen ad præsens, ne per varia videar evagari, disceptationem eam, ad cætera progressurus.

Indulgentiarum numerus non capit numerum, si mammonæ finitas infinitate mensuretur. Certissima sunt omnia, expertissima sunt singula.

Indulgentiarum copia ante Conciliũ Const.

Si dantium intermina foret donatio, recipientium abyssalis esset acceptio. *Infernus* damnatis atque damnandis, *purgatorium* afflictis puniendisve vacuaretur, si pecuniæ quantitas statere non posset ponderari, elargita sine modo.

Multum igitur hæc pessima *Simonia* me dudum afflixit, quam viribus & conamine quibuscunque potuero per dilectissimum filium meum SIGISMUNDUM REGEM, nec non per *sacrum concilium* congregandos cæteros filios meos, penitus evellere studebo. Ne istud virus, quod simpliciter primum in te, o sponsa mea, susum est, inter omnia nefaria tibi inflicta ullo in te posit perdurare modo vel momento. Quod utique nefas satis radicatum est in te per eos, qui obicem posuisse debuerunt. Est igitur verificatum sapientis dictum:

Simonia remediũ in Concilio Const. quærendum.

Radicatum malum Simoniæ.

Quod nova testa capit, inveterata sapit.

In veteri lege hæc pravitas sumsit initum, nec adhuc, tempus usque in præsens finem accepit. Propter hanc igitur extirpandam nequitiam, ob istam enervandam iniquitatem, pro hac evellenda impia hæresi, totus fidelium congregabitur cœtus, universique orbis conglomerabuntur sapientes, & ex omnibus viris electissimis *curia Constantiensis* prudentibus replebitur. Justi judicium justitiamq; facturi in *Constantia*, magna stabunt constantia adversus eos, qui te angustiaverunt. Primum & principale nefas, quod est *Simonia*, penitus ablaturi. Quapropter procedendum est contra *Simoniacos*, & qui inventi fuerint hujus lepræ irretiti vitio, justa pœna punientur, prout aliquando priscis factum est temporibus, quibus contra *Simoniacos* eleganter processum est, & debite judicatum.

Scopus Concilii Const.

Fons malorum in Ecclesia omnium ante Conc. Const. Simonia fuit.

Nam tempore Henrici Quarti *Hildebrandus Cardinalis*, qui postea *Gregorius* factus est, cum legatus esset in Gallia, & in concilio contra multos Simoniacos processisset, contra unum Episcopum Simoniæ lepra maculatum procedere conabatur, sed testes in medium producendos auro corruptos invenit. Cumque hæc experiretur, ait: *Producatur in medium divinum consilium. Episcopatus enim donum Dei est, & quisquis mercatur Episcopatum, contra Spiritum sanctum facit. Si ergo tu contra Spiritum sanctum non fecisti, dic: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Quod ille intrepidus incipiens, cum *Patri & Filio* dixisset, *Spiritui Sancto* nullatenus exprimere potuit, sæpius *Gloria Patri* repetito. Unde ejectus est, ut meruit, de Episcopatu. Quo expulso plene dixit: *Patri & Filio & Spiritui sancto.* Tanta igitur opera, tantaque diligentia ad istud expellendum adhibebitur virus, ut sentiant, se male fecisse, qui Simoniam exercuêre, & cæteri ab eis exemplum accipient, ut terreantur, huic vitio non inhæsuri. Hæc breviter dixerim, ad alia processurus.

Gregorii VII. contra Simoniacum Episcopũ sententia.

Simoniaci Episcopi examẽ.

DISTINCTIO VIII.

Fastui Prælatorum à SIGISMUNDO remedium iri quæsitum, monetur.

Superbia Prælatorum.

SEcundo loco proposuisti opponens mihi *prælatorum superbiam*, atque divitias, contra meam humilitatem & paupertatem, quas culmine magnifico extollendas prædicavi, in me ipso has virtutes miro dedicans exemplo.

Supr. f. 64. seqq.

Neque putare te velim me *superbia* aut *ambitionis* vitia laudaturum, quæ utique Luciferum de cœlo, & Adam ejecerunt de Paradiso. Hæc namque etiam secundum Poëtas *matres* vocantur *scelerum*. Unde *Claudianus*:

Ambitio mater scelerum.

At primam scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurũ,
Trudis avaritiam. Cujus fidissima nutrix
Ambitio: Quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat, & pretiis commercia poscit honorum,
Pulsa simul: Nec te gurges, corruptior ævi
Traxit ad exemplum, quod jam firmaverat annis
Crimen, & in legem rapiendi verterat usũ.

annis

Vitia connexa.

Superbia, *ambitio* & *avaritia* connexa sunt vitia, & unum sine altero neque esse. Hæc in *prælatis* justa reprehendenda censeo æquitate.

Episcopis indulta quædam pompa.

Quæ etsi aliquando apparuerint exteriori habitu, non tamen sic æstimanda sunt vel interiori animi motu radicari. Cum & præsules atq; Pontifices secundũ eorum statum deceat incedere tramite æquissimo, illis indulto.

Donatio Constantini jactata.

Non enim decet summum Pontificem, Cardinales, Patriarchas, cæterosque pxælatos, post indultam à serenissimo Principe Constantino dignitatem imperialem, more simplicis incedere sacerdotis, aut clerici, quos ego in præfato Imperatore Constantino singularibus privilegiis dotavi. Namusque ad illum sancti viri solum spiritualibus intenderunt. Sed postquam ille purificatus est, imperium & imperialia vicariis meis concessit. Quibus ad tuam uti potuerunt & debebunt defensionem, amicti ornamentis, phaleratis familiis, & equorum strepitibus circumducti.

Formula celebrata donationis Constantini.

Unde ipse *Constantinus* ait: *Sanctis Apostolis, Dominis meis, & beato Sylvestro, patri nostro, & universali Papæ, omnibusque ejus in sede beati Petri successoribus, Pontificibus, imperii nostri palatium Lateranense contradidimus, deinde diadema capitis nostri, simulque phrygiũ & superhumerale, qui imperiale circumdare assolet collum, & chlamydem purpuream, tunicamque coccineam, & omnia imperialia indumenta, & omnem processionem imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Et quemadmodum imperialis potentia diversis officiis cubiculariorum, & ostiariorum & omnium excubitorum ornatur, ita & sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus. Et ut amplius pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc Ejusdem Ecclesiæ clericis, ex linteis candidissimo colore equos eorum decorari, & ita equitari. Decernimus & hoc, ut venerabilis Pater Sylvester, & omnes ejus successores Pontifices, diademate, quod ex capite nostro illi concessimus,* ex auro *purissimo & gemmis pretiosis, uti debeant, & in eorum capite ad laudem Dei pro beati Petri honore gestare. Ac ipse beatissimus Papa super coronam clericatus quam gerit, omnino ipsa ex auro non est, uti passus, corona. Phrigyum vero, candido nitore splendidum, resurrectionem Dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus. Et tenentes frenum equi ipsius, pro reverentia beati Petri, stratoris officium ei exhibuimus. Statuentes, eodem phrygio eorum successores omnes uti in processionibus, ad imitationem imperii nostri. Et ut Pontificalis apex non vilescat, sed amplius quam terreni dignitas imperii, & gloria potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prælatum est, quam urbis Roma, & omnis Italia, seu occidentalium regionum provincias, loca, & civitates patri nostro Sylvestro, ejusque successoribus decrevimus disponenda, ac jure Ecclesiæ Romanæ permansura. Unde congruum conspeximus, nostrum imperium & regni potesta-*

testatem orientalibus regionibus transferri, & in Byzantia provinciam, in optimo loco, nomini nostro civitatem edificari, & illic imperium nostrum constitui. Quo modo, ubi principatus sacerdotum & Christianæ religionis ab Imperatore cœlesti constitutus est, justum non est, ut Imperator terrenus habeat potestatem. Denique coram Deo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili ejus judicio obtestamur per hoc nostrum imperiale constitutum, omnes successores nostros Imperatores, & cunctos optimates, & universum populum in nostro imperio, nulli quocunque modo licere, hæc, quæ à nobis imperiali sanctione sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, & ejus Pontificibus concessa sunt, refragari, aut confringere, vel in quoquam convellere. Si quis autem in hoc contemtor aut temerator extiterit, æternis condemnationibus subjaceat innodatus, & sanctos Dei, principes Apostolorum, Petrum & Paulum, sibi in præsenti vita & in futura sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus cum Diabolo & omnibus impiis deficiat.

Splendor Pontificũ ex donatione Constantini repetitur.

Ex his luculenter claret, *statum Prælatorum, Pontificum, mutatum*, divina dispositione. Cum & hæc sub tanto *Imperatore* & tam sancto *Pontifice Sylvestro* facta sint. Cui divinitus ista concessa sunt cum ejus successoribus omnibus, non solum summis *Pontificibus*, sed & aliis illorum *Suffraganeis*. Qui ex imperatoriæ dignitatis concessione *bona feudalia* obtinent, pro Ecclesiæ suæ utilitate, cum castris, civitatibus, pro conservatione Ecclesiæ, nec non Pontificalis dignitatis honestate.

Bona feudalia Episcoporum.

Abusus splendoris Pontificalis.

Sunt etiam nonnulli, qui hic sibi taliter indultis *abutuntur*, in damnum animæ suæ, & scandalum Ecclesiæ. Quorum *abusum* non laudo, sed tecum, in quantum valeo, reprehendo. Qui *superbia* inflati intumescunt, pauperes despiciunt, & pompose incedunt, spernentes humilitatem & paupertatem. Qui res Ecclesiæ confiscant, ut eas teneant, nec pauperum succurrunt egestati, vel *histrionibus* aut cæteris bona impertiuntur Ecclesiæ, qui illis merito gaudere non debent. Qui *palatia* magna construunt sine necessitate, aut Ecclesiæ utilitate, ut inde videantur aut extollantur. Hos omnes & singulos corripio, corrigo atque reprehendo.

Histrionibus collata Ecclesiæ bona.

Palatia Episcoporum superba.

Et quid adjunxisti exemplum de Sancto *Amalachia*, cujus vitam una tecum ad plenum laudare vix valeo, ut modo loquar humano? Utinam tales essent omnes *Episcopi*, *sancti*, *justi*, *pii*, *misericordes*, & *sinceri*. Sed *in Allemania* tales esse ad effectum non possunt, quamvis *sancti* & *justi* esse possint, qui & *judicum locum tenent in temporalibus & spiritualibus*. De qua materia inferius abundanter scribam, de *doctrina Episcoporum in Alemania*, & aliis provinciis orbis, quibus præsunt Pontifices tanquam judices & rectores.

Supr. f. 66. 67.

Episcoporum bona nota.

Episcoporum in Germania singularis conditio.

Fuit igitur *tempore Constantini Regis venenum immissum* tibi, ô sponsa dilectissima, sed abutentibus dotatione atque ditatione tua. Divitiæ namque in se malæ non sunt, sed qui eis abutuntur, mali per eas extant. Fuere namque & existunt divites plerique viri spirituales & temporales, qui suis opibus regnum meruere cœlorum. Nam & tu thesaurum habes, ut eo ad pietatis opera utaris, quibus ad solium patris mei pervenitur.

Dotatio Constantini venenum Ecclesiæ.

Volo igitur una tecum, ut *summus Pontifex* primo, deinde *cæteri Pontifices*, in suo gestu, statu, habitu, vita & conversatione, nihil faciant, quod cujusquam offendat animum, aut lædat conscientiam, sed quod ipsorum decet sanctum statum.

Papæ & Episcoporum obligatio.

Et ad hoc totis ex viribus, per electum meum REGEM SIGISMUNDUM, advocatum tuum universalem, cæterosque ad hoc opus idoneos, anhelabo, ut *mores*, si quos *corruptos* habuerint, *reformentur*.

Reformatio morũ à Sigismundo expectata.

DISTINCTIO. IX.

Acceptioni personarum & in distribuendis officiis Ecclesiasticis inaequalitati remedium à SIGISMUNDO expectatur.

Supr. f. 68. seqq.

TErtia vice multa *de acceptione personarum*, quasi notabiliter hoc dixeris, constantissime proposuisti, nullius timore percussa: Quod, ut asseris, *patrimonium* meum *inaequaliter divisum* sit. *Divites* affirmas plura & multa *possidere beneficia, compatibilia* & *incompatabilia*. Unum abundantia florere, alterum, refers, fame perire.

Inaequaliter beneficia Ecclesiae distribuuntur.

Certissime te alloquor, constanter *veritatem* protulisti, quae omnia vincit. Et ego in hac causa testificor tecum coram Deo & hominibus & sanctis spiritibus, qui divinam intuentur claritatem, quod *veritatem* purissimam enarrasti. Neque habeo aliquid, ut excusationis modicum etiam quid dicere possim. Quippe amaro nimis sum animo, hac eadem perculsus *injustitia*, volens *statum* tuum simpliciter *in hac parte immutari in concilio generali*, quod *Constantiae* in congregatione sapientium tuorum celebrabitur, non potens neque volens amodo talia sustinere.

Concilii Constant. remedii.

Et miror satis, cum de hac edissereres materia, quare *de fratribus mendicantibus*, filiis tuis, nihil proposueris, qui revera non modo in hoc schismate, sed etiam ante & post, columnae tuae videntur, teque usque in diem hodiernam sustentant, qui opprobrium sunt divitum, & abjectio potentum. Hi sunt religiosi viri, sanctitate conspicui, vitâ exemplares, & doctrinâ praefulgentes. *Dominicus* cum suis *fratribus Praedicatoribus*. *Franciscus* cum suis *fratribus Eremitis*. Elias Propheta cum suis *Carmelitis*. Hi nempe sunt, quos ex remotis mundi partibus in unum pastor ovile collegi, qui lac atque lanam fructificant, moribus sinceri, & scientia atque eloquentia praepollentes. Hi sunt coeli, in quibus habitaculum mihi paravi, in quorum sermonibus mira spargo fulgura & tonitrua. Isti sunt, de quibus prophetatum est: *Rorate coeli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet salvatorem.* Per istos arida reseratur, germinans me salvatorem, dum horum tuba resonat in auribus peccatorum, qua attoniti convertuntur. Isti sunt fideles, veri religiosi, qui nec minas Principum timent, neque potentum tyrannides, ut taceant veritatem, reverentur. Hi sunt, quorum doctrina fulget, ut solares radii, mundum illustrantes. Nam in omnem terram exit sonus eorum, & in fines orbis terrae eorum procedunt verba. Isti contra *diluvium istius horrendi schismatis* columnae fuêre marmoreae, & contra ignis incendium statuae lateritiae extiterunt. Hi fidei tuae, ô sponsa, clariferi sunt praedicatores, constantes defensores, & veritatis sincerissimae pronunciatores. Quos & ego contra inimicos eorum defendere studeo, & efficaciter protegere, committens *Illustrissimo Principi & universali advocato* tuo, SIGISMUNDO, nec non aliis, quorum interest, nostros non modo non offendere, sed etiam constantissime defensare. Nam quod uni ex his immaniter factum fuerit, mihi reputo crudeliter immissum. Eorum *privilegia* in vigore perfecto mansura contendo, & oppositum, per quoscunque attentatum fuerit, annullatum censeo, aut per viam aliam eis provideri cupio & exopto. Sacerdotes sunt, & homines, cibo & victu indigent, fame eos perire non permittis, & ad nuditatis tegumentum veste carere non valent. Superflua non exoptant, necessariis indigent, quibus eos summopere volo providere. Sed, ne tædium generem, ad ulteriora procedo.

Monachorum ordinis Mendicantium elogia.

Dominicani. Franciscani. Carmelitae.

morati, docti, eloquentes,

Oratores,

animosi,

dissensionis hostes,

frugales.

DISTINCTIO X.

Tyrannidem Prælatorum esse mulctandam asseritur.

Quar-

Supr. fol. 72. seqq. Prædiorũ Ecclesiasticorum usurpatio.

QUarto loco opposuisti plura, objiciens etiam *prælatorum* meorum *tyrannidem*, qui *aliena* sibi *usurpant prædia*, & possessiones tuas incastrant castris suis. Unde etiam mala varia sequuntur.

Nihil habeo, quo excusare possim illos, cum etiam ipse multos tales noverim non modo *meliores*, sed & in *summo dignitatis culmine constitutos*, qui hujusmodi nefanda facere non verentur. Sed nosse te volo, illos pœna debita *mulctandos*, prout post non magnum experieris tempus, cum, sicut & tu allegasti, etiam illi, de quibus locuta es, exsolverint malum, quod egerunt. Et jam ad reliqua sum transiturus.

DISTINCTIO XI.

De SIGISMUNDI IMPERATORIS majestate, de Episcoporum Germaniæ singulari jure. De Episcopis Italiæ, ut & utrorumque differentia.

Supr. fol. 79.

QUinto objecisti, conquerens te *acephalam*, propter *imperatoriæ majestatis carentiam*, *tricephalam* ob *summorum Pontificum pluralitatem*. Erat tibi necessarium, ut hæc proponeres, mihi vero oportunum, ut respondendo tibi satisfaciam. Hic enim habeo, ut plura edisseram, quæ suppliciter deprecor, attente digneris advertere.

Imperii Rom. jura fracta ante Conc. Const.

Priscis jam *elapsis temporibus*, querimoniam de his deferre necesse fuerat. Jam vero neque expedit, neque necessarium est, cum tibi solatii plena valeam mittere gaudia, in quibus desperatio & anxietas tuanon deperibit.

Sub Sigismundo Cæsarea majestas redintegrata.

Vere fuisti *acephala*. Sed jam acephalam te dicere non debebis, cum tibi *de optimo religionis* tuæ *viro strenuo* providerim, *monarcha universali*, *& advocato*, de quo superius aliqua expressi, *qui pacem & unitatem reformabit*, ut neque *acephala*, nec *bucephala*, aut *tricephala* debeas reputari. Imo *monocephala* penitus & nominaberis & eris.

Sigismundo ferrum. Pontifici verbum.

Unus enim est *REX tuus*, *cui gladium commisi temporalem*. Alius erit rector summus, vicarius meus, cui *gladium* dabo *spiritualem*, qui genti sibi subditæ vitâ & laudabili conversatione, atque sanctitatis exemplo præibit, cæteris, qui se summos gloriantur Pontifices, depositis & abdicatis. Nec dubium tibi ponas in hoc, cum hæc brevi certissime videas affutura.

Intuebris etiam *pacis* per orbem universum *unitatem*. Ut non surgat amplius gens Christiana contra populum religionis tuæ, sed pax erit ubique terrarum. Ut majori lætetis pacis unione & concordia, quam tristata fueris discordiæ schismate & errroris.

Episcoporum gladius spiritualis.

Amplius proposuisti, *summum Pontificem*, aliosque *Episcopos* gladio corporali non percussuros, quibus *solo gladio spirituali* permissum est, & indultum, ut percutiant, *non accepturi gladium*, quo pugnent, *corporalem*.

Episcopi Samuelis similes, aliqui. Sacerdotes & judices simul sunt Episcopi Germaniæ. ArchiEpiscopi Electores Imperii. Trevirensis. Coloniensis. Moguntinus. ArchiEpiscopi Germaniæ

Hic considerare te volo, *Pontifices* in duplici fore differentia. Quidam repræsentant *sacerdotium Samuelis*. Qui quamvis esset *sacerdos*, *judicis* tamen officium gerebat in temporalibus, & officium judicis exercebat. Ipse enim Regem elegit, & electum confirmavit, & Agag corporali gladio interfecit.

Hujus imitatores sunt *Episcopi Alemaniæ*, qui dotati & ditati à sancto Constantino, utuntur etiam contra inimicos gladio corporali, tua templa defendentes, & prædia & possessiones tuas protegentes.

Nam & ipsi sunt *Electores Imperii*, veri *Principes*, more Samuelis, qui judex fuit & sacerdos. *ArchiEpiscopus* videlicet *Trevirensis*, qui est Archi-Cancellarius Galliæ, *ArchiEpiscopus Coloniensis*, qui est ArchiCancellarius Italiæ, *ArchiEpiscopus Moguntinus*, qui est Archi-Cancellarius Germaniæ, id est, totius Alemaniæ.

Isti sunt *vicarii* illius, qui dixit ad me: *Domine paratus sum in mortem tecum ire*, & edu-

gladio Petri accincti.

& eduxit tempore tribulationis gladium, & amputavit servo Pontificis auriculam. Et quod ego illi dixi: *Converte gladium tuum in vaginam*, designare volui, ut *sine necessitate & ratione* gladio nullus uti deberet. Quod qui fecerint, verissime gladio peribunt.

ArchiEpiscopi caute utantur ense Petri.

Judas Maccabæus.

Sic & *Judas Maccabæus*, Mathatiæ filius, olim Judæorum favore *Pontifex* decernitur, qui & *Dux populi* fuit. *Judex* igitur fuit & *Pontifex*. Sic & *Aristobulus* Jonathæ filius, *Rex* pariter *Pontifex*. Qui & primus apud Judæos diadematis assumsit insigne, post CCCCLXXXIV annos Babylonicæ captivitatis. Cui successit *Alexander*, etiam *Rex* & *Pontifex*.

Aristobulus.

Alexander.

Germania Episcopi.

Pariformiter *Alemaniæ Episcopi* horum tenent locum, tanquam *Reges* sint & *Principes*, & *Pontifices*, gladio utentes utroque.

Papa Episcopis Germaniæ similis usu gladii.

Quo etiam non tantùm *isti*, sed & ipse *summus Pontifex* pro tua poterit uti necessitate & utilitate. Ad cujus probationem nobile producam exemplum.

Gregorii VI. Papa res gestæ.

Nam *Gregorius VI*, qui utique fuit vir vitæ sanctissimæ, & religionis magnæ, Apostolatus Romani statum per antecessorum suorum incuriam diminutum reperit, ut præter pauca oppida, urbi vicina, & oblationes fidelium nihil haberet, quo se sustentaret. Civitates, prædia, castra & possessiones eminus positæ, quæ ad jus tuum pertinebant, à raptoribus ablatæ erant. Tramites & stratæ regiæ per Italiam totam à latronibus stipabantur: Ita ut nullus peregrinus nisi manu fortiori impune peragraret. Cessatum est ab omni provincia Romam aggredi. In ipsa etiam *urbe* sicarii rapinam exercebant. Super ipsa sanctorum Apostolorum & martyrum corpora gladii nudabantur. Oblationes accedentium vix appositæ de manibus rapiebantur, arreptæ in comessationibus & scortorum abusiones insumebantur.

Animi moderatio in Gregorio VI.

Tantis malis venerabilis Pontifex *primo leviter, ut decet Pontificem*, occurrere cœpit, *amore* plus, quam *terrore, verbis* magis quam *verberibus* agens. Mandat, ut a peregrinorum infestatione cessent, & rapina sacrorum. Invasores Ecclesiastici patrimonii & mandatis & epistolis invitavit, ut aut debita redderent, aut, se jure illa tenere, in senatu Romano probarent: Si neutrum facerent, membra se non esse cognoscerent.

Consiliũ pro bonis Ecclesiasticis recuperandis.

Talia frequenter concionatus parum profecit, aut nihil. Tunc *excommunicavit* omnes, qui aut talia agerent, aut agentibus convivio aut colloquio participarent.

Lenitas irrita Excommunicationis fulmina.

Illi autem *excommunicati* cœperunt contra furere, muros urbis armis circumsonare, adeo ut pene Papam interficerent.

Excommunicatio armis elusa.

Tunc *summus Pontifex* ferro abscisionis utendum judicans, arma & equos undecunque conquisivit, milites & equites adornavit, ac primum Ecclesiam beati Petri præoccupans raptores oblationum vel extinxit, vel fugavit. Occisis itaque sibi resistentibus, prædia & oppida multo tempore amissa in antiqvum jus restituit.

Gregorius VI. arma prehendit.

Quirites interea, raptu vivere assueti, *sanguinarium* illum vocabant, & indignum, qui Deo offerret, tot cædium conscius.

Gregorius VI. Sanguinarius dictus.

Ipsi etiam *Cardinales* hoc dicebant. Adeo ut cum ille in valetudine, qua defunctus est, decumberet, consilio inter se habito, auderent *eum admonere*, ne se in Ecclesia sancti Petri cum cæteris Apostolicis tumulari præciperet, qui tot hominum mortibus officium fœdasset.

Cardinales corripiunt Gregoriũ VI.

Tunc ille collecto spiritu torvisque luminibus *minax* hanc orationem inter cætera habuit: *Vos, inopem vitam diurno pane agebatis. Vos populari & dissuto amictu oculos movebatis meos. Itaque cum hæc pati nequirem, bellum aliis indixi, ut damno civium gloriam emerem clericorum. Sed, ut modo experior, in ingratos collata beneficia perdidi. Quod alii per angulos mussitant, Vos in publico evomitis. Et libertatem quidem probo, sed pietatem requiro. Morientem Patrem filii de sepultura sua exagitant. Communem mortalium domum mihi negabitis? Non arcetur ab introitu Ecclesiæ meretricula, non usurarius, non latro; Et Vos Papam ingredi prohibetis? Mortuus peccare nescit, imo*

Minax apologia Gregorii VI.

imo nequit, summo carens viatico. Quam immanis igitur barbaries est, ut hunc à domo Dei excludatis, cui peccandi desit & voluntas & facultas? Quapropter filii tam praerupta audacia, per misericordiam agite. Stulte enim & amare locuti estis. Considerate etiam rationem. Crebro miserabilis interpellabat egenus, ut ejus levarem inopiam. Ego futurorum inscius non abnui, sed diversis monetis onustum dimisi. Discedens ille latronem offendit, qui videns eum nummos portantem, clava, quam ferebat, percussum occidit. Numquid inde judicandus sum, qui peregrino dederam, unde causam mortis incurrit? In legibus Ecclesiasticis & forensibus idem factum diverso respectu & punitur & laudatur: Animadvertitur in latronem, quod hominem occidit in occulto, probatur in milite, quod hostem fuderit in bello. Itaque homicidium in isto laudabile, in illo vituperabile. Ezechiel sacerdotes accusat, quod non steterint ex adverso, nec se opposuerint murum vel clypeum pro domo Israel. Duae sunt personae in Ecclesia ad resecanda vitia constitutae, una, quae exacuit eloquium, altera, quae portat gladium. Ego non neglexi partem meam. Illi scripsi, ut nostis, cujus intererat gladio corporali pugnare. Rescripsit, se occupatum bello, rogans, ut meis laboribus & suis expensis non gravarer latronum conciliabula deturbare. Si renuissem, quam excusationem offerrem Deo, cum Imperator in me suas refudisset partes? Viderem caedem civium, damnum peregrinorum, & dormitarem? Quisquis parcit latroni, occidit innocentem. Sed objicitur: Non esse sacerdotis, ut se caede cujuscunq; commaculet. Verum est, sed non se inquinat, qui sontem premens insontem liberat. Imo vere beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam. In omni tempore sacerdotes fuerunt amplissima laude famosi Phineas & Mathatiae, qui delinquentes manu sua ulti sunt. Alter amplexus Veneres manu sua confodit: Alter idolis immolantem immolatico cruori commiscuit. Zacharias sacerdos sacrificantem Regem expulit, & procul dubio non dubitasset occidere, nisi Deus illum accelerasset cedere. Praevenit Episcopalem manum plaga divina, ut illius cadaver depasceretur lepra, cujus animus usurpasset illicita. Parum est, quod excuso: Sed laudandum est, quod feci. Contuli enim illis beneficium, quibus videor intulisse exitium. Poenam minui, dum mortem acceleravi. Sceleratus enim, quanto plus vixerit, tanto plus peccabit. Sed quia & mea & vestra ratiocinationes falli possunt, committamus omnia divino examini. Corpus meum antecessorum meorum more compositum ante januas Ecclesiae sistite, januis seris & repagulis obseratis. Si Deus voluerit, ut ingrediatur, plaudatis miraculo. Sin autem, de cadavere facite sicut placet.

Quo mortuo, ostiis clausis & obicibus interjectis, funus ibi positum est. Et ecce turbo vehemens divinitus emissus repagula reseravit, & januas aperuit. Et in Ecclesia corpus ejus sepelierunt.

Ex quo patet exemplo, *Episcopos & Pontifices in necessitate, & Ecclesiae utilitate,* uti debere etiam *gladio corporali.* *Episcopis quando competat ensis.*

Et sic faciunt *Episcopi in Alemania,* qui *utroque* ulciscuntur *ense*, ut praefatum est. Claret ergo, quomodo uti possint gladio utroque, & qualiter non debeant vindictam sive in suos sive in extraneos exercere. Et haec dicta sufficiant de *Episcopis & Pontificibus, qui locum tenent judicum & sacerdotum.* *Episcoporum in Germania praerogativa.*

Alii verò sunt *Pontifices Italiae,* qui sunt *vicarii illius, qui relicta syndone nudus aufugit.* Et *hi pugnant gladio* praecise *spirituali,* docentes verbo veritatis, vita & conversatione honesta, scientia praepollentes, quorum statum multum commendo. Isti ex viris religiosis eliguntur, vitae exemplaris, & scientiae atque eloquentiae singularis. Quicquid igitur in his defectuosum repertum fuerit, emendabitur in futurum. *His competit verbum & ferrum.* *Episcopi Italiae ferro carent.*

Et quod proposuisti sexto *de ignorantia rectorum*, non potero excusare. Sed providendum est, ut illi, qui *digni* fuerint, praeficiantur, qui verò non meruerint, evellantur. *Supr. fol. 82.*

DISTINCTIO XII.

De dogmatibus Wiclefi, Husi & Hieronymi Pragensis.

Supr. f. 86

SEptimo & ultimo in medium produxisti *hæreticos* quosdam, cum suis erroribus & hæresibus, quorum nomina etiam posuisti. Certe revelato lumine dixisti veritatem, & revertuntur hæreses, quæ primo in mundum seminatæ sunt.

Nam, ut supra dixisti, *hæresis prima* fuit *simonia*. *Secunda hæresis circa* sanctissimi corporis mei *sacramentum* erat, quæ velut à duritia sermonis mei facta est. Nam cum dicerem illud *Joh. VI. Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habet vitam æternam*: Illi non intelligentes dixerunt ad invicem: *Durus est hic sermo. Quis eum potest manducare?* Dicentes, *durus est hic sermo*, se ipsos à me separaverunt, & remansi cum XII. Qui cum discessissent, instruxi eos, qui remanserant, dicens: *Spiritus est, qui vivificat, caro nihil prodest. Verba, quæ locutus sum Spiritus & vita sunt.* Intellexistis spiritualiter, spiritus & vita sunt. Dixi autem, non *hoc* corpus, quod videtis, manducaturi estis, sed *spiritualiter*. Spiritualiter intelligite, quæ locutus sum. Non *hoc* corpus i. e. non in hac specie, in qua me videtis, manducaturi estis me, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent, hoc est, non secundum illam speciem, secundum quam effundetur in cruce.

Quapropter hæc est vera, orthodoxa fides, quod *ante consecrationem* est *verus panis* in altari. *Post consecrationem* vero est ibi *verum corpus*, quod ex Maria virgine assumsi, quod in cruce pependit, & quod in seculorum fine judicaturum erit vivos & mortuos.

Wiclefi & Husi sententia de Sacramento altaris.

Contra quam professionem sentiunt impiissimi hæresiarchæ, *Johannes Wickleff* damnatæ memoriæ, *Johannes Huss* & *Hieronymus de Praga*. De quibus superius es locuta. Qui inter cæteras hæreses, & falsissimos errores, hanc *de sacramento altaris sectam* & hæresin renovarunt, inquientes: *Panem & vinum*, quæ in alteri ponuntur, *post consecrationem* solummodo *sacramentum*, & *non verum corpus meum* esse. Et adhuc cum multis de secta sua ita tenent.

Tres igitur de sacramento corporis Christi fuerunt *sententiæ*. Una dixit, quod illa substantia, quæ prius erat panis & vinum, post consecrationem sit corpus & sanguis Christi, ut patet *de conse. dist. II. Panis &c. Quia corpus.* Secunda tenet, quod substantia panis & vini desinit esse, & tantum ipsorum accidentia remanent, scilicet sapor, color & pondus, & sub illis accidentibus est corpus Christi verum. Et hæc probatur *de summa trin. & fide cathol. c. 1.* Tertia dixit, remanere substantiam panis & vini, & in eodem loco, & sub eadem specie esse corpus Christi. Sed isti *hæresiarchæ* dicunt, post consecrationem esse ibi tantum tanquam in signo, & non esse in altari verum corpus Christi. Hac hæresi *Berengarius* fuit infamatus, de qua se expurgavit, ut patet *de conse. dist. II. Ego Berengarius.*

Tres Scholasticorũ sententiæ de corpore Christi in S. cœna.

Sententia Wiclefi, Husi,

Berengarii.

Ad cujus probationem adduco id, quod de sanctissimo viro *Basilio Episcopo Cæsariensi* legimus. Nam cum ostensione publica vellem clarificare rei veritatem multis dubiam, quidam *Hebræus*, officii mysterium explorare volens, permiscuit se populo, & vidit infantem partiri in sancti Basilii manibus, & accedens sumsit vere carnem & verè sanguinem. Quod indicans uxori suæ baptizatus est cum omni domo sua.

Et non minus stupendum contigit *miraculum* anno à nativitate mea CLXXXI. Apud *Aurelium*, die Dominica circa festum beati Laurentii, presbyter celebrans duas paraverat hostias, propter viaticum, & processerat usque ad orationem Dominicam. Videt illam, quam manibus tenent, rubeo colore suffusam, & sanguinem ex ea inter digitos profluentem, eamque super altare in tribus locis transposuit, & in singulis, quantum

tum ipsa continet, tantum de sanguine purpuratur, populus occurrit, miratur, sacerdos illam sumit, quam ipse paraverat reponendam. *Rex* autem *Philippus*, qui non longe aberat, accurrit & vidit hostiam in forma carnis lividæ, & supra corporale sanguinis guttas, sive etiam notas, cum transponeretur hostia, ad modum hostiæ circulatas.

Post modicum apud castrum Corrolam eadem hostia partim carnis partim panis speciem repræsentavit, in festo omnium sanctorum: Dum priore celebrante & volente ipsam tripartiri, frangi non potuit, sed integra manens per medium est replicata, & mox pars una formam carnis induit, pars reliqua in pristina forma mansit.

Similia acciderunt apud *Soranam oppidum*, & in territorio *Vindocinensi*, & apud *Atrebatum*. Hæc autem per me facta sunt propter *hæresin in Vasconia pullulantem*.

Sed hos horumque errores una cum sibi adhærentibus necesse est evelli, atque radicitus supplantari. Impium enim est, non extirpare hæreticos. Et qui non resistunt eis fovere videntur hæresin & approbare. Illi saltem, qui possunt impedire, & non faciunt.

Wenceslaus Rex Husitis favit.

Sicuti, & tu conquesta es contra *Bohemiæ Regem*, quem mulctandum pronuncio, si fautor illorum impiorum hominum fuerit adinventus. Nam & multa bona à multis effecta parum proderunt, si hæresum aut errorum favor ab eis processerit, & permaxime si *Principes*, quorum interest etiam usque ad mortem pro me pugnare, in tam pernicioso crimine me derelinquere non abhorrent. Quorum peccatum gravissimum, crimen manifestius. Unde & pœna major præfata consequetur. *Consensus* enim *Principum* in exercendis malis impune non evadit. Unde notabile referam ad id exemplum.

Ludovicus Rex Germanorum.

LUDOVICO REGI GERMANORUM apparuit in somnis genitor ejʼ, olim *Imperator*, filium per nomen sanctæ Trinitatis adjurans, ut ipsum eriperet è tormentis, quibus tenebatur, unde tandem requiem æternam habere mereretur. Ob hoc ad diversa monasteria eleemosynis destinatis obnixe filius succurrebat patri. Unde dabatur intelligi, quod licet idem Imperator multa Deo & hominibus placentia fecisset, plura tamen Deo contraria in regno suo fieri consenserit. In quibus graviora videbantur, quod *hæresi Nicolaitarum* non restitit, & monita Gabrielis Archangeli, XII capitulis comprehensa, quæ legenda & observanda oblata fuêre, servare non studuit.

Husitis faverunt Principes & Episcopi.

Qua ex re colligo, quod si præfatus *Rex Bohemiæ* aut alii *Principes*, sive *spirituales* sive *seculares*, fautores eorum fuerint, quod absit, contra ipsos justitiæ gladio foret procedendum. Sed non dubium, quin, si ita repertum fuerit, *Illustrissimus advocatus* tuus cum cæteris filiis tuis, juris ordine servato, contra ipsos procederet hæreticos cum eorum complicibus & fautoribus, cujuscunque conditionis, status extiterint seu dignitatis.

Wiclefi condemnatio in Anglia.

Sed & unum certissime factum noscito, errores atque hæreses præfatorum, *Johannis Wiclef Anglici*, *Johannis Hus atque Hieronymi*, hæresiarcharum, Londoniis ab *Archi Episcopo Cantuariensi*, studii Oxoniensis conservatore, octo Episcopis & triginta Magistris in Theologia, condemnatos, quos hodierno tempore stultilogi isti, tumidi & superbi *hæresiarchæ*, artistæ nonnulli, *Pragæ* nituntur defensare.

Husſ & Hieronymi condemnatio in Conc. Const.

Horum principales adhuc viventes sunt prænominati *Johannes Hus* & *Hieronymus de Praga*. Sed ne dubites, sponsa dulcissima, egregios ac illustres viros sæpe dictos *in concilio Constantiæ congregandos* remedium adhibituros opportunum.

Dogmata Wiclefi.

Articuli vero erronei & hæretici sunt jam annotandi.

Contra Transsubstantiationem.

Primus articulus *Johannis Wicklef*, quos prænominati hæretici *Pragæ* defendunt, est iste: *Substantia panis & vini manent post consecrationem.*

II. *Accidentia panis non manent sine subjecto, in eodem, post consecrationem.*

III. *Christus non est in eodem sacramento*

De S. cœna.

to identice, vere & realiter, & in propria persona corporali.

De Missa.

IV. *Non est fundamentum in Evangelio, quod Christus missam ordinavit.*

De sacerdotum consecratione.

V. *Episcopus vel sacerdos existens in mortali peccato, non ordinat, nec conficit, vel baptizat.*

Confessione.

VI. *Si homo fuerit debite contritus, oris confessio est ipsi superflua & inutilis.*

VII *Deus dat obedire Diabolo.*

Potestate Papæ.

VIII. *Si Papa est præscitus vel malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles Christi ab aliquo sibi datam, nisi forte à Cæsare.*

Papatu.

IX. *Post Urbanum Sextum non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum.*

Excommunicatione.

X *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat, ipsum excommunicatum à Deo.*

XI. *Qui sic excommunicat, ex hoc fit hæreticus vel excommunicatus.*

Clericorum appellatione ad Principem.

XII. *Prælatus excommunicans clericum, qui appellat ad Regem, vel ad consilium, ipse proditor & traditor Regis & regni.*

XIII. *Qui dimittunt prædicationem seu verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die judicii traditores Christi habebuntur.*

Cleri opibus.

XIV. *Contra sacram Scripturam est, asserere, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones temporales. Et vocat sacram Scripturam doctrinam Apostolorum.*

Prædicatione verbi.

XV. *Licet alicui clerico vel diacono, vel presbytero, prædicare verbum Dei absque autoritate sedis Apostolicæ, vel Episcopi, vel alterius, de quo sufficienter constat.*

XVI. *Asserendum est, quod nullus sit Dominus civilis, nullus sit Episcopus, nullus sit prælatus, dum est in peccato mortali actualiter.*

Jure Principũ in bona cleri.

XVII. *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis delinquentibus.*

XVIII. *Et populares possunt ad eorum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

Decimis.

XIX. *Decimæ sunt puræ eleemosynæ.*

XX. *Parochiani possunt propter peccata suorum curatorum decimas detinere, & ad libitum suum aliis, quibus volunt, conferre, cum sint puræ eleemosynæ.*

Precibus.

XXI. *Spirituales orationes applicatæ alicui personæ per prælatos vel religiosos, non plus prosunt eidem personæ cæteris paribus, quam generales.*

De ordinibus Monachorum.

XXII. *Eo ipso, quod aliquis ingreditur religionem privatam quamcunque, sive possessionatorum, sive mendicantium, fit ineptus vel inhabilis ad observantiam mandatorum Dei.*

Fundatoribus eorum.

XXIII. *Sancti instituentes religiones privatas quascunque, tam possessionatorum, quam mendicantium, in instituendo peccaverunt.*

Monachis mendicantibus.

XXIV. *Religiosi sive fratres tenentur ad laborem, & non per mendicationem victum acquirere.*

Prædicatoribus.

XXV. *Conferentes Ecclesiæ fratribus prædicantibus, sunt excommunicati, & recipientes similiter.*

XXVI. *Religiosi, viventes in religionibus privatis, non sunt de religione Christiana.*

Bonis Ecclesiasticis.

XXVII. *Papa cum omnibus clericis suis, possessiones habentibus, sunt hæretici: Eo, quod possessiones habent.*

Papæ judicio.

XXVIII. *Quod omnes eis consentientes, scil. Domini seculares, & cæteri laici, & propter hoc Papa neminem potest judicare de hæresi, cum sit hæreticus.*

Ecclesia Romana.

XXIX. *Ecclesia Romana est synagoga Satanæ: Nec Papa est proximus & immediatus Christi vicarius.*

Decretalibus.

XXX. *Decretales Apostolicorum Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à fide Christi.*

XXXI. *Clerici sunt stulti, qui eas student.*

Dotationus Ecclesiarũ.

XXXII. *Imperator & Domini seculares seducti sunt à Diabolo, ut Ecclesiam Dei bonis temporalibus dotarent.*

Electione Papæ.

XXXIII. *Electio Papæ à Cardinalibus & Diabolo introducta est.*

Papa & Cardinalibus.

XXXIV. *Ideo suadet, à Papa & à Cardinalibus recedere, & se simpliciter Deo committere.*

Superioritate Ecclesiæ Romanæ.

XXXV. *Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter Ecclesias.*

Indulgentiis.

XXXVI. *Fatuum est credere indulgentiis Papæ & Episcoporum.*

Juramẽtis.

XXXVII. *Juramenta civilia sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia.*

Cœnobiorum

XXXIIX. *Augustinus, Benedictus, Gregorius, Bernhardus, & cæteri sancti Patres damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quod habue-*

fundatione & opibus.

habuerint possessiones, & instituerint & invenerunt religiones, indifferenter introductas, & sic Papa usque ad infimum religiosum habentem possessiones, est hæreticus.

Ordines Monachorum.

XXXIX. *Omnes religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo.*

XL. *Oratio præscitæ nihil valet.*

XLI. *Omnia de necessitate eveniunt.*

Confirmatione, consecratione.

XLII. *Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservatur Papæ & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.*

Gradibus Academicis.

XLIII. *Item universitas, & studia & collegia, graduationes & ordinationes sunt vana gentilitas, & introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ Dei sicut diabolo.*

XLIV. *Item excommunicatio Papæ vel cujuscunque Prælati non est curanda, quod est censura AntiChristi.*

XLV. *Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt veri diabolici.*

XLVI. *Item, ditare clerum est contra regulam Christi.*

XLVII. *Sylvester Papa & Constantinus Imperator erraverunt dotando Ecclesiam.*

De bonis claustrorum confiscandis.

XLIIX. *Inducit etiam Reges & Principes seculares, ut bona clericorum sibi invi-scent, & eos spolient, & universum populum secularem inducit contra eos.*

Posui impiorum & hæreticorum hominum sectas iniquas, errores scandalosos, piarum aurium læsivos. E quibus mortem subiit *Johannes Wiclef* damnatæ recordationis. Sed *superstites* existunt *hi duo*, quorum malevolam sententiam *ignis probabit*, nisi resipuerint, & condignam egerint pœnitentiam, cum *sacrum generale concilium Constantiæ celebrandum* rite fuerit congregatum.

Pugnabunt igitur fideles filii tui & devincent. Pugnasti tu, ô mi sponsa carissima, primis temporib° contra *Leonem*, hoc est *tyrannos*, quos me vicisti protegente. Pugnas nunc adversus *draconem*, id est, contra *hæreticos*. Nam loco tyrannorum habes hæreticos. Sed, quomodo victus est leo, vincetur & draco. Hæc animo tuo imprime, & lætitia perfunderis.

DISTINCTIO XIII.

De hæreticis in Sangerhusen, & eorum hæresibus & dogmatibus, circa tempora Concilii Constantiensis.

Hæretici in Sangerhusen. Supr. f. 86.

PRoposuisti etiam querendo, *in Sangerhusen* magnam & maculatam esse *hæreticorum sectam*. De cujus scandalosa societate multum doluisti, & non immerito, cum hæc impietas non modo Christicolas inficiat, verum etiam Judæos & paganos lætificet, & scandalum nobis gignat.

Wiclefitæ interfecti. Sangerhusani cremati.

Sed ut pulsis tristitiæ & doloris gemitibus lætitia superfundaris inæstimabili, noveris, nuperrime & *in Anglia* de secta impiissimi *Wicleff* multos esse *interfectos*, & in *Sangerhusen* XCI. & in aliis oppidis quamplures de alia nefandissima opinione *concrematos*, & pœnam, quam meruerunt, recepisse, prout iidem confessi sunt coram honorabili & religioso viro fratre *Henrico Schonevelt ordinis fratrum prædicatorum, hæreticæ pravitatis inquisitore*, præsentibus & assessoribus inclitis *Principibus Thuringiæ & Misniæ*, eidem in adjutorium deputatis. Penes quos, & à quibus præfati *articuli* una cum eorum doctoribus sunt damnati.

Henricus Schonevelt inquisitor.

Dogmata Sangerhusanorum.

Ut igitur clareat istorum perversitas & error, *articulos* jam subjungam. Sunt *numero quinquagenario* determinati.

Crucifratrum origo.

Primus articulus est: *Quod secta crucifratrum, qui ad LX annos vel circa semetipsos flagellando cum cantu per mundum transiverunt, originem habuerit ex quibusdam literis, quas Angeli sancti Romæ super altare beati Petri de cœlo portaverint.*

Flagellatores. Contra Papam & Episcopos.

II. Quod ante LX annos, cum se ipsos flagellando crucifratres transiverunt, Deus Papam Romanum & omnes Episcopos, cæterosq; prælatos & sacerdotes, ne deinceps populo in spiritualibus præessent, licentiarit, & omni autoritate ligandi & solvendi, aut quascunque res consecrandi eosdem simpliciter privarit.

III. Quod, sicut in expulsione negotiatorum de templo propter sacerdotum malitiam,

Christus repudiavit & abjecit sacerdotium Judaicum: Ita in transitu crucifratrum propter presbyterorum nequitiam Deus licentiarit & abjecerit sacerdotium Evangelicum.

De Sacerdotibus.

IV. Quod post transitum crucifratrum, Ecclesiæ & cœmiteria, aqua, sal, cineres, oleum & chrisma, ac cætera hujusmodi sacramentalia debuerint & debeant pro non sacratis haberi, quod per nullum sacerdotem potuerint consecrari.

Sacramẽtalibus rebus.

V. Post transitum crucifratrum Ecclesiæ materiales fuerint & sint nisi congeries lapidum, publicæ domus peccatorum, & spelunca latronum.

Templis.

VI. Sacerdotes, baptismum aquæ, & aliorum sex sacramentorum legem prædicando docentes, sint seipsos, cum populo eisdem credente, spiritualiter occidentes.

Sacramentis.

VII. Quod clava mortificationis sit asperforium aquæ benedictæ, & scintillæ infernales sint asperſæ cum ipsis ejusdem aquæ guttis.

Aqua benedicta.

VIII. Quod tota divini officii in Ecclesia decantatio non debeat sanctius quid reputari, quàm canum ululatio.

Cantu pristino in templis.

IX. In transitu crucifratrum lex baptismi aquæ deposita à Deo, & lex baptismi proprii sanguinis instituta.

De novo baptismo sanguinis.

X. Quando Christus in Cana Galilæa circa finem nuptialis convivii aquam albam in vinum rubeum mutavit, designavit, quod circa finem mundi baptismus aquæ in baptismum sanguinis mutari deberet.

XI. Quod sicut vinum rubrum præ omni vino prius posito convivantibus magis placuerit, ut commendaretur, ita nova lex baptismi sanguinis præ cunctis ante datis legibus à Deo gratissima sit accepta.

XII. Quod post transitum crucifratrum nemo potuit salvari, & verus existere Christianus, nisi in proprio sanguine cum flagello de corpore suo excusso baptizaretur, & flagellatorum esset consectaneus.

XIII. Quod sacramentum confirmationis pro nullo & pro trufa debeat reputari, quod nonchrismati Judæi ita bene barbas habeant & animas, sicut illi, qui se à sacerdotibus faciunt chrismari.

De Confirmatione.

XIV. Quod sacrorum ordinum sacramentum una cum sacerdotibus sit à Deo simpliciter abjectum & contemtum.

Sacramẽto ordinis.

XV. Quod Deum & corpus Christi non contineat sub se realiter altaris sacramentum.

De reali præsentia corporis Christi in S. corna.

XVI. Quod si hoc esset verum, quod in sacramento altaris esset veraciter Christus Deus, diu esset devoratus, etiamsi esset mons ingens & magnus.

XVII. Quod Christus à mortuis surgens volenti eum tangere ait Mariæ Magdalenæ: Noli me tangere: Quia tam humanæ manus sunt inflictivæ, a modo in ipsas nolo venire. Patet igitur, in sacramento altaris Christum veraciter non existere.

XVIII. Quod sacerdotum avaritia totum sic sibi substraverit mundum, ut tam care vendant hominibus panem tantillum, cujusmodi est hostia: Pro qua ad minus velint habere denarium.

De nummo confessionario.

XIX. Quod, si Christus sit veraciter in Sacramento altaris, tunc Juda traditore, qui eundem Christum dedit pro triginta argenteis, sacerdotes moderni pejores existant: Quia Christum pro uno denario vendunt.

XX. Altaris sacramentum est nisi kuc-kuc sacerdotum.

Sacramẽto altaris.

XXI. Quod ad mortalem peccatorum remissionem non oporteat, ut quis faciat sacerdoti confessionem.

Confessione.

XXII. Qui sacerdoti confitetur, non plus munditiæ acquirit, quam qui sui lutosæ se allidit.

XXIII. Quod omnia peccata, quantumcunque interioribus enormia, tollat sola proprii corporis flagellatio spontanea.

XXIV. Quod omnes indulgentiæ sint penitus nullæ, à quocunque datæ, & cum sacerdotio reprobatæ.

Indulgẽtiis.

XXV. Quod benedictiones sacerdotum, & cætera solennitates Ecclesiæ, sacramentum matrimonii non extollant & dignificent, sed magis ipsum deprimant & deturpent.

Benedictione sacerdotali in matrimonio.

XXVI. Quod magis conferat infirmantium saluti, in corpore recenter flagellato mori, quam integrà olei libra per sacerdotem in extrema unctione perfundi.

Unctione extrema.

XXVII. Quod vestis nuptialis, quæ se indutum dignificat superni Regis convivio, est cutis recenter vulnerata cum flagello.

XXIIX. Quod post inceptam flagellatorum legem, nemo beatitudinem cœli intrarit, nisi quem spontanea flagellatio usque ad eruptionem sanguinis vulneravit.

XXIX.

De septē sacramentis Rom. Ecclesia.

XXIX. Quod post inchoationem sectæ flagellatorum nullus more Romanæ Ecclesiæ septem sacramenta percipere potuerit, qui in ipsorum perceptione mortaliter non peccaret.

XXX. Quod loco prædictorum septem sacramentorum in ista ultima lege flagellatorum omni Christiano populo instituta sit sola proprii corporis in memoriam passionis Christi spontanea flagellatio.

XXXI. Postquam flagellatores per mundum primo transiverunt, nulli homines passioni Christi grati & vere Christiani fuerunt, nisi qui in flagellatorum secta extiterunt.

XXXII. Quod sacerdos, & Levita, qui Christum inter Hierusalem & Hiericho à Judæis vulneratum non compatientes transierunt, sint moderni presbyteri & credentes ipsis populi, passionibus Christi ingrati.

XXX. Quod Samaritanus, qui eundem Christum vulneratum jumento imposuit & duos denarios pro ejusdem cura protulit, sit secta flagellatorum, quæ jam sola Christum passum in humeris propriis portet, & cum denario Dominicæ orationis & observantiæ X mandatorum curet debite & honoret.

De Anti-Christo

XXXIV. Quod Anti Christus diu regnarit & regnet, & quotidie immineat dies judicii. Quod Elias & Enoch jam in mundo apparuerint, & diu sint mortui.

XXXV. Quod Anti-Christus, qui diu jam regnarit, sint Prælati, Presbyteri. Qui omnes Anti-Christi sint, & dicantur, quod sectam flagellatorum infestent & persequantur.

De Begardo quodā Erfordiæ combusto.

XXXVI. Quod Elias jam mortuus sit, qui fuerit quidam Begardus, qui ante XLVIII annos propter hæresin in Erfordia combustus est.

De Conrado Smet.

XXXVII. Quod Enoch, qui jam de seculo diu migrarit, fuerit Conradus Smet, qui hæreses supradictas primus in Thuringia publicavit.

De Præexistentia animarū.

XXXIX. Quod Deus in principio omnium hominum animas simul crearit, & cum primo homine in paradisum collocarit.

XXXIX. Quod quotiescunque fœtus humanus in utero matris animetur, anima de paradiso per Angelum adducatur, & fœtui inspiretur.

De Henoch & Elia reversis.

XL. Quod cum Begardus supradictus, & Conradus Smet, etiam præfatus, in maternis visceribus existentes animari debuerint, Angeli de Paradiso venientes uni Eliæ alteri Enoch animam infuderint, & sic Elias unus veraciter extiterit & Enoch realiter alter fuerit.

De extremo judicio.

XLI. Quod in die novissimo, non unum, per Christum, sed septem vel octo per diversos judices constituenda sint judicia.

XLII. Quod ultimum judicium in die novissimo non instituturus sit Christus, sed Conradus Smet, flagellatorum hæresiarcha.

De juramentis.

XLIII. Quod, quamvis omnia juramenta, qualitercunque fiant, sint peccata mortalia: Eligibilius tamen sit, flagellatores coram Inquisitoribus jurare, & multa committere perjuria, quam se & sectam prodere: Quod possint juramenta & perjuria postmodum cum flagello expiare.

De purgatorio.

XLIV. Quod post hanc vitam non sit aliquod animarum purgatorium. Quare defunctos non juvent suffragia vivorum.

Precibus pro defunctis.

XLV. Quod vigiliæ & exequiæ defunctorum ad nihil aliud valeant, nisi quod sint aliquale solatium vivorum, & quod repleant marsupia clericorum.

Missa pro defunctis.

Imaginū veneratione.

XLVI. Quod crucem Christi, & imagines gloriosæ virginis aliorumque sanctorum nullus debeat adorare: Quia in ipsorum adoratione committatur idololatria.

De diebus festis.

XLVII. Quod solum omnes dies nativitatis Dominicæ Christi, assumtionis virginis gloriosæ, sint celebrandi secrete & studiose.

Jejuniis.

XLVIII. Quod nulla, quæ per sacerdotes mandantur, observanda sint jejunia, sed solum vigilia nativitatis Christi, & assumtionis virginis gloriosæ, & cujuslibet sextæ feriæ, in anno venientes.

XLIX. Dies nativitatis Christi super die veneris si veniat, cum jejunio sextæ feriæ non dispensare.

L. Quod existentes in prædicta novæ flagellatorum secta sacerdotes venerentur, & Ecclesia sacramenta percipiant, eorundem mandatis obtemperent, & oblationes & jura solvant in jejuniis quatuor temporum, & aliis fidelibus conformentur, & sanctorum imagines & festa colant, solum propter hoc, ne ab hominibus notentur, & postmodum de hoc pœnitentes flagello se perentiant.

Ecce posui hæreses & errores eorum, de quibus tu queruloſe plura objecisti, pœnasque eorundem apposui, ut tu planctus tui atque fletus oblivi-

scaris.

Sangerhusani extincti.

scaris. Neque post *præfatorum combustionem* per inquisitionem diligentem alii sunt inventi prædictis erroribus & hæresibus maculati.

Unde huic *libro quarto* positurus finem, puto, me ad omnia & singula tibi regulariter & plenarie respondisse. *Mala* vero, quæ in fine libri tertii epilogo ponebas, *in sacro Constantiensi concilio* penitus abradentur, & medicamina medici constituendi adhibebunt, me suffragante, qui genus humanum vario delusum errore ad veritatis viam reducere possum, una cum Patre & Spiritu Sancto, æterno & vero summoque Deo cuncta regente in secula seculorum. Amen.

Supr. f. 88.

LIBER QVINTUS.

Metuit Ecclesia inanem eventum CONCILII CONSTANTIENSIS ratione unionis, exemplo irriti CONCILII IN SAVONA inter GREGORIUM XII. & PETRUM DE LUNA: Qui ambo consenserint de loco & tempore, irrito eventu. Similia CONCILII PISANI fata describuntur.

METRUM.

Ecclesiæ metus de irrito reformationis in Concilio Constantiensi successu.

O Mi sponse pie, radiosos orbe statutos
Mente regens cœlos, sis miserens miseræ,
Jam clemens statue *rotæ* tandem *ruituræ*
Finem fortunæ, tenera quæ miseris.
Cessit, & elisa est *lux*, quondam splendida multis:
Fata dicant triste, *sors graviora parat.*
Plango jam misera, vilis fleo, fontibus ustæ
Nullus adest Notus: Omnis amicus abest.
Experior, sorte solum felice fruenti
Plaudere fata, Deos, astra viasque hominum.
Altera sum *Megæra* merens, quæ crine soluto
Nobilis Alcidis anxia flevit iter.
Heu, tellure jacens est mœstus *Job* sociatus:
Mœsta, sed exhausta spe, nece cocta feror.
Facta priora monent, me non cito credere posse.
Hinc sequor, & promo, quæ sit mihi *causa doloris.*

PROSA LIBRI QUINTI.

DISTINCTIO I.

Auguratur Ecclesia, pacem ac reformationem Ecclesiæ in Concilio Constantiensi vix ex voto successuram. De Gregorii XII. electione differitur.

EA omnia ac singula, quæ in præcedenti libro ad mei consolationem aptissime pronunciasti, gratanter suscipio, sperans, quæ sic proposuisti, affutura: ut videlicet in *Constantiensi Concilio* rupta & discissa *reformentur*. Et de *hæreticorum* pœna *igne crematorum* me lætari multum, nosse debes.

Reformatio in Concilio expectata.

Timeo tamen, *hæc bona* tua nuncia *non eventura*: Cum argumentis ac rationibus id probare velim, veritatis testimonio roboratis. Nosti enim, novitque mundus universus, quanta diligentia filii mei pro hac, quam exopto, unione laboraverint dudum, & nihil effecerint in effectu, & præsertim post obitum felicis recordationis *Innocentii Papæ VII.*

Spes sæpe fallitur.

Tunc namque *anno* à nativitate tua, & mi sponse amantissime, *MCCCCVI. Indictione XIV. die Martis, XXIII die mensis Novembris, in die sancti Clementis*, Apostolica *sede* pastore *vacante*, congregati, & ad invicem collegialiter adunati, pro futura summi Pontificis electione celebranda, Reverendissimi in Christo Patres & Domini, Domini *Angelus Hostiensis Florentinus*, *Henricus Tusculanus Neapolitanus*, *Antonius Penestrinus Aquilegensis*, *Episcopi*: *Angelus tituli sancti Marci Constantiensis*, *Jordanus tituli sancti Martini in montibus de Ursinis*, *Johannes tituli sanctæ crucis in Hierusalem Ravennacensis*, cum cæteris filiis meis *Cardinalibus*, in communi Capella sacri palatii Apostolici *Romæ* apud sanctum Petrum convenerunt: Tibi Deo atque tuæ benedictæ matri, virgini gloriosæ Mariæ, ac sanctis Apostolis Petro & Paulo, totique cœlesti curiæ *juraverunt*: Et ad invicem unus alteri, & è contra, solenniter se obligando *promiserunt*, quod si quis eorum ad apicem summi Apostolatus assumtus esset, *pro integratione unitatis Christianorum renunciaret effectualiter juri suo & papatui, pure, libere & simpliciter, si & quando Antipapa, qui esset, & pro tempore foret, renunciaret, & cederet prætenso juri suo & papatui*, sive decederet, dummodo AntiCardinales effectualiter vellent cum eisdem Dominis de sacro Collegio sic & sic convenire, ut ex utroque collegio sequeretur justa, canonica electio unici summi Romani Pontificis: Et qui sic electus foret in summum Pontificem, infra tres menses à die inthronisationis suæ mitteret solennes oratores ad ipsum Antipapam pro unico summo eligendo Papa, & deputarentur locus & tempus, ubi & quando convenire deberent pro hoc periculoso schismate extirpando.

Fata anni 1406.

Conventio Cardinalium in electione Papæ, ante Conc. Const.

Juramentum Cardinalium ante Conc. Const.

Resignatio Papatus promissa à Papa recens electo

Hinc anno, quo supra, mensis prædicti die XXX. electus fuit à Dominis Cardinalibus unanimiter & concorditer in summum Pontificem Dominus *Angelus tituli sancti Marci, presbyter Cardinalis*, dictus *Gregorius XII.* Qui eodem die immediate post electionem *idem votum, sacramentum, & promissionem fecit*, prout in instrumento desuper confecto plenarie continetur: Et se ipsum manu propria subscripsit, omnia se firmiter impleturum effectualiter, omnia, quæ pro sanctæ unionis modo & via fieri possent, prout *in solenni conventione* prius ipse cum aliis voverat & juraverat.

Electio Gregorii XII. Papæ ante Conc. Constant.

Juramentum ejus.

DISTINCTIO II.

Epistola Gregorii XII. ad Petrum de Luna seu Benedictum XIII. de unione sancienda.

G*Regorius* igitur electus, volens suis satisfacere voto & juramento, tanquam vigilans custos gregis sibi commissi, *Petro de Luna*, qui se usque in diem hodiernum pro Papa gerit, scripsit in hunc modum;

GREGORIUS, Episcopus, servus servorum Dei, PETRO de LUNA, quem nonnullæ gentes in hoc miserabili schismate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum. Qui se humiliat, inquit veritas, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur. Cujus saluberrimam monitionem, quando nobis ex alto promittitur, obedienter secuti, decernimus per literas nostras, omni contentione seposita, benigne te affari, & ad redintegrationem Ecclesiæ cohortari, imo te invitare ad id consilium capessendum, quod nos ipsi pro pace Christianorum accepimus. Vides, quanta mala, quanta pericula, quanta incommoda, quanta denique Christianæ religionis infamia jam per XXX. annos ex hac pestilenti & nefaria seditione in populo Dei provenerint, quantaque nisi provideatur, sint quotidie proventura.

Gregorius invitat Benedictũ ad unionem.

Et infra: *Non videtur semper de summo jure disputandum, sæpe rigor ipsi utilitati & tempori cedit. Nam si mulier illa & juri suo renunciare, & proprio se filio spoliare voluit, ne sectionem unius pueri videret: Quanto magis nobis, si malitia operante ad optatam unionem venire non possumus per justitiæ vias, pie cedendum videtur. Quare exurgamus ambo, in unum unionis affectum concurramus, feramus salutem Ecclesiæ jam hoc diuturno morbo afflictæ. Ad hoc te hortamur, ad hoc te invitamus, paratique sumus & offerimus, nostro verissimo juri & papatui cedere & renunciare. Et efficaciter faciemus, si, & quando tu renunciaveris & cesseris prætenso juri & papatui tuo vel decesseris: Vel quicunque successor tuus renunciaverit & cesserit prætenso juri & papatui suo, vel decesserit. Dummodo illi, qui apud partem tuam pro Cardinalibus se gerunt, sic convenire & concordare cum venerabilibus fratribus nostris, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, velint cum effectu; Ut exinde canonica unici Romani Pontificis sequatur electio. Itaque ut prædicta expeditiorem consequantur effectum, celeriter mittemus oratores nostros, qui de loco habili & decenti ad hujus rei executionem disponant. Et insuper pendente hujusmodi unionis contractu non faciemus nec creabimus aliquem Cardinalem, nisi forte causa coæquandi numerum fratrum nostrorum cum numero illorum, qui apud te pro Cardinalibus se gerunt, ut sic pares ex utraque parte ad solennem & canonicam electionem unici Romani Pontificis possit deveniri. Datum Romæ apud sanctum Petrum, XI die Mensis decembris, Anno à nativitate Domini MCCCCVI.*

Conditionata resignatio Papatus.

Omnes Papatu cedere suadet Gregorius Papa ante Concil. Const.

DISTINCTIO III.

Literæ Gregorii XII. ad Rupertum Romanorum Regem, & ad Cardinales Benedicti XIII. de unione.

IDem etiam *Gregorius* magis instans, non modo *Petro de Luna* Anti papæ, sed & *Regi Romanorum* atque *anti Cardinalibus* suam insinuavit intentionem, qua ad sanctam anhelat unionem, ita scribens:

GREGORIUS &c. *cariſsimo in Christo filio RUPERTO, Regi Romanorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Eo celerius* &c. & sic finit: *Oratores nostros celeriter missuri sumus, qui de loco idoneo & decenti cum eisdem disponant ad hujusmodi unionem faciendam. His igitur cognitis de pace atque unitate Ecclesiæ bonam spem suscipere tua Serenitas debet. Nam profecto confidimus, tempus advenisse, in quo anxia Christianorum implebuntur vota.*

Gregorii XII. sollicitudo pro eligendo uno Papa.

Amplius hortaturus *anti Cardinales* ad eradicandũ istud nefandissimum schisma, & ingerendam sanctam unionem ita scripsit *Gregorius*:

Ut vobis omnibus pateat: &c. Et infra: *Obsecramus itaq; vos atque obtestamur per viscera misericordiæ Jesu Christi, quatenus in Deum oculos erigentes, & ad calamitatem, ob ipsum schisma afflictæ Christianitatis, piis affectibus respectantes, velitis exurgere, omnemque conatum cum eodem vestro Domino, ac reliquis quos hoc tangit negotium, excitare, ut tam desiderabile cunctis Christicolis bonum unionis hujusmodi subsequatur.*

Desideriũ pacis.

Ex quibus luce clarius apparet, quantam diligentiam huic sanctissimo filio tuo infuderis, ut tam fideliter omnes

Affectus autoris in Gregoriũ.

omnes sibi contrarios in *sanctæ unionis reformationem* evocaverit, ut te præ oculis habentes mei misereantur tanto tempore desolatæ, tamque diu nimis afflictæ. Ut & ipse *verus* fuerit *Gideon*, qui filios Israel de manu suorum eripuit æmulorum.

Bonum certissime fuerat *principium*, bona exhortatio ejus, ut & diu rebellantes incitaverit ad *sanctæ unitatis bonum* penitus & plenarie perficiendum. Quo & tu laudaris, & ego ipsa in pristinam restituor unitatem.

Distinctio IV.

Epistola Benedicti XIII. ad Paulum de Ursinis, de unione sarcienda.

Visus uterq; Pontifex quærere pacẽ.

Nec fuere scripta tanti Patris inania, neque alterius, qui se *Benedictum* nominat, vacua conscientia. Uterque namque ad præfatum *unionis bonum* singulariter aspirat.

Videris namque gratiam tuam divinitus effusam his tribuisse: Cum & ipse *Benedictus* ejusdem fuerit propositi sancti. Quod manifeste claret ex epistola, quam *Paulo de Ursinis* miserat, cujus tenor sequitur in hæc verba: *BENEDICTUS, Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, nobili viro, PAULO de URSINIS, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad nostrum auditum fama publica divulgante pervenit, intrusum in sede Romana esse ab hac luce subtractum. Verum cum ad eradicandum profugandumque occurrentis schismatis & senescentis erroris perniciem & procurandum Ecclesiasticam unitatem, illo teste, qui nihil ignorat, nostra aspiraverit & aspiret intentio; Pro tanto nobilitatem tuam, quam ad tanti prosecutionem negotii affectam novimus, rogamus, & hortamur, per aspersionem sanguinis Jesu Christi, quatenus apud illos, qui sub nomine Cardinalium præfato intruso, dum viveret, adhærebant, cum nunc sit acceptabile tempus, & oportunitas sit prompta ad pacem Ecclesiæ autore Domino consequendam, velis efficaciter interponere partes tuas, agasque indirecte exhortationibus oportunis, ut ad sedationem hujus horrendi schismatis velint totis pro viribus intendere: Nos enim, ulterioribus non parcentes laboribus aut impensis, parati sumus in loco decenti & idoneo, ac utrique securo, cum eis, sublato moræ dispendio, convenire, & dare operam talem, ut totus mundus cognoscat, quod per nos non stabit, quando vera unio in Dei Ecclesia habeatur: Et præstolamur in nostri misericordia Redemtoris, ut, ipso dirigente, qui novit, & præstante, qui potest, nobis & prædictis in unum convenientibus, finis huic deflendo schismati imponatur, & Christianus populus pacem diu desideratam effectualiter assequatur. Velis igitur, quæsumus, cum præfatis, modis tibi possibilibus, procurare, ut ipsi nobiscum, ut præfertur, pro tanto bono conveniant, & ad constituendum alium loco defuncti non procedatur, sed à tali actu abstineant. Talis enim constitutio schisma amplius concitaret, radicaret, & vias difficiliores redderet ad assequendam Ecclesiæ unitatem. Nos enim pro feliciori hujusmodi prosecutione negotii nuncios nostros ad partes illas brevitter destinare proponimus, plenis instructionibus eruditos. Hujusmodi autem directionem negotii velis quæsumus suscipere commendatissimam, recepturus ex hoc laudem grandem hominum, & immensum meritum apud Dominum. Datum Tholoni VIII. Cal. Decembr. Pontificatus nostri anno XIII.*

Benedicti XIII. pacis studiũ simulat.

Fucus Benedicti.

Calliditas Benedicti.

Et simili modo scripsit *rectoribus almæ urbis, quæ totius universi noscitur esse caput.*

Distinctio V.

Epistola responsoria Benedicti XIII. ad Gregorium XII. pro reparanda unione.

Affectus autoris in Benedictum.

Processit vir ille, *Petrus* videlicet *de Luna*, ut extolleret nomen suum, & laudabile illud faceret coram populo universæ terræ, rescribens epistolam præfato venerabili viro *Gregorio*. In qua primo gratias agit tibi, quod tua ineffabili clementia, quando venit temporis plenitudo,

nostræ humanitatis indumento contectus diversos in tuæ nativitatis exordio parietes copulasti, virumque huic flagitioso dedisti mundo, qui tota animi intentione, omnibusque viribus ad hoc anhelat, ut *pax Ecclesiæ atque unitas reformetur.*

Pro cujus unione, refert, se duobus prædecessoribus suis scripsisse. Et, quod displicenter eructat, quanquam ipse semper paratus extiterit, nullum tamen ab eis responsum congruum, nec verbum potuerit habere effectivum. Unde in plenum assurgens gaudium ita ad prædictum venerandum virum scribit:

Gloriatio Benedicti.

O te felicem, si ad hoc te Dominus reservavit, si facultatem ad ea, quæ tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter prosequens, nobis in affectu prosequendæ unionis te reddendo conformem, prout spopondisti, de contingentibus nil omittas. Ad hoc enim te piis exhortationibus invitamus, ad hoc nos promtos reperies, hoc videre summopere cupimus, ad hoc nostra prospiravit, & prospirat intentio, noster intendit & attendit affectus, ut Deo dirigente, qui novit, & præstante, qui potest, per nostra humanitatis ministerium unio in Dei Ecclesia desiderata sequatur.

Simulatio Benedicti.

Secundo principaliter insinuat, se nunquam resiliisse à præfato *sancto proposito*, quin omnibus modis & via, quibus potuerit, periculosi & horrendi schismatis optaverit & optet expulsionem, & erga alios, quos negotium tangebat, cum debita solicitudine sit omnino prosecutus. Nec per ipsum unquam stetisse aut staturum, quin, quantum in eo fuerit, ad præsentis schismatis anhelaverit extirpationem, & unionis assecutionem. Ad cujus rei evidentiam sic, ut jam sequitur, ipse inferendo ait:

Ut igitur de intentione nostra, quam habuimus & habemus ad hujus deflendi schismatis extirpationem, & unionis assecutionem, te certiorem reddamus, tibi præsentium tenore significamus, & offerimus, quod, ut tam præoptatum unionis negotium celerius & securius valeat executioni mandari, parati simus una cum collegio venerabilium fratrum nostrorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, in loco securo, decenti & idoneo, tecum aut cum quocunque successore tuo, cum tuis, qui pro Cardinalibus se gerunt, aut gerent, personaliter convenire pro unione Ecclesiæ tractanda, & favente Domino obtinenda: Ibique provise & ordinate de his, quæ pro securitate & acceleratione unionis prædictæ erunt oportuna ac necessario disponenda, parati sumus pro pace & salute animarum, ac unione & redintegratione Christianorum, in dicta conventione personaliter nostro verissimo juri, & papatui, pure, libere & simpliciter cedere & renunciare. Et efficaciter faciemus, si tu ibidem similiter renunciabis & cedes prætensis juri tuo & papatui, vel decedes, vel quicunque successor tuus consimiliter renunciabit & cedet prætensis, juri suo & papatui, vel decedet: Dummodo tu, vel quicunque successor tuus, & illi, qui apud partem tuam pro Cardinalibus se gerunt aut gerent, sic, ut præfertur, volueritis & voluerint cum effectu convenire & concordare nobiscum & cum venerabilibus fratribus nostris, ut exinde canonica unici Romani Pontificis sequatur electio & unio Ecclesiæ sanctæ Dei.

Benedictus invitat Gregoriũ ad resignationẽ Papatus.

Sic igitur ex prædictis patule cognoscitur, quantis laboribus, quantisve nisibus prænominatus *Petrus de Luna* ad unionem meam anhelaverit affectu, & quantum in eo fuerit pariter & effectu.

DISTINCTIO VI.

Epistola Petri de Luna ad Cardinales Gregorii: Et Cardinalium Petri de Luna ad Cardinales Gregorii, de unione redintegranda.

Hic etiam vir contentus non erat epistolâ Gregorio missa, sed etiam ipse, ut intentionem suam publicaret, scripsit *Cardinalibus Gregorii*, exhortans eos ad præfatam unionem effectualiter perficiendam. Tenor igitur sequitur sub hac forma:

BENEDICTUS &c. *universis, qui in hoc pernitioso schismate ANGELO CO-*

CORARIO, qui se GREGORIUM appellat, tanquam Cardinales adhærent, pacis & veræ unionis affectum pariter & effectum. Nuper &c. Et infra: *Unde vos requirimus, & exhortamur per viscera misericordiæ Jesu Christi, quatenus in hujusmodi proposito firmiter persistatis, quæ de labiis vestris processerunt, in irritum non veniant, sed opem feratis ad actum. Sicq; velitis partes vestras apponere efficaces, nihil, prout spopondistis, de contingentibus omittendo. Ut præoptatum unionis negotium ulterioris dilationis detrimenta non sentiat, sed Deo præstante, cujus causa tractatur, ad finem desideratum valeat breviter & feliciter pervenire. Nam quantum ad nos spectare dignoscitur, ad ejus accelerationem volumus & optamus resumta omni diligentia procedere, cum nobis post æternam salutem nil fuerit vel sit desiderabilius in hac vita.*

Benedicto urget pacem.

Illi etiam, qui se pro Cardinalibus *Petri* ejusdem tenent, Cardinalibus *Gregorii* notabilem miserunt epistolam *pro unione sancta* cito adimplenda. Cujus sententia scripta fuit sub hac forma:

Miseratione divina Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ CARDINALES universis & singulis pro CARDINALIBUS ANGELI CORARIO, quem nonnulli in hoc miserabili schismate Gregorium nominant, se gerentibus, Spiritum cogitandi, quæ sunt unitatis & pacis, & illa propitius exequendi. Vobis notum facimus &c. Et infra: *Intellectisque ipsarum literarum tenoribus fuimus ultra, quam dicere valemus, in Domino consolati &c.* Et magis infra: *Ad nil aliud vacamus, & vacare intendimus toto conamine, & summis præcordiis, quam ut quantocius in unum conveniamus locum. Ut, quod, paraclito inspirante, pariter mente concepimus, impleamus operibus. Nam secundum vestrum maximum oratorem pluris est considerate agere, quam considerare prudenter. Amputemus igitur pro Dei misericordia omnem moram, quæ in magnis negotiis summi solet esse periculi, & malos consuevit producere exitus. Spiritus sanctus vos constanter perseverare faciat in opere cæpto. Amen. Datum Marsil. anno Domini MCCCCVII.*

Pluris est considerate agere, quam considerare prudenter.

Ex his igitur omnibus clarissime lucet, quantis conatibus, quantisve nisibus parte ex utraque pro sancta tua *unione* sit laboratum, quantum ad affectum. De effectu vero in sequentibus nunc narrabo.

DISTINCTIO VII.

De Constituta Synodo Gregorii XII. & Benedicti XIII. in urbe Savona.

Deque Gregorii XII. excusatione aut tergiversatione.

OMnia, quæ in corde meo habeo, tibi propalavi, neque aliquid tibi, o mi amantissime sponse, abscondere possum, cui cuncta secreti mei scrinia aperio.

Hinc factum novi, post tot scripturarum plurium manifesta documenta, listos, de quibus præfatus sum, viros venerabiles *concordiam* iniisse, plene quoq; *convenisse de loco & tempore*, in quibus omni ambiguitate semota in *Savona* in festo sancti Michaelis Archangeli personaliter cum suis collegiis deberent se præsentare, accessuri ad tam solenne *unionis* meæ *opus*, & operam efficacem, ut extirparetur hoc penitus flagitiosum & horrendum, omnibus seculis infame schisma.

Consensus Pontificũ de colloquio in urbe Savona.

Enim verò si *Pontifex Romanus* in festo prædicto commode adesse nequiret, *dilationis tempus* statutum fuerat, ut in festo sanctorum omnium nullo fractus impedimento, nullave tractus morula, se nullatenus absentaret.

Dilatio indulta.

Sed præfatus GREGORIUS, se de hoc, postmodum factus impotens, excusavit, scribens PETRO de LUNA: *Cupientes ab intimis nostris præcordiis, ut pestiferum hoc schisma in Dei Ecclesia protinus extirpetur &c.* Et inferius: *Ut possemus præfixo in tempore, in loco decreto convenire, diligentiam adhibuimus, ut galeas fidas habere possemus. Sed quum huc usq; possibilitas nobis hujusmodi galeas habendi nullatenus data sit, nec spes certa sit, non solum octo, sed nec sex galeas consequendi, nisi facultas alia, quam totis effectibus exoptamus, nobis in futurum adveniat, non concernimus præfixo in tempore venire posse, de quo ab intimis anxiamur. Quæ jam notificare decernimus, ut hujusmodi, de qua dolemus,*

Tergiversatio Gregorii.

lemus, nostra impotentia nota fiat, daturi pro viribus operam, quantum divinitus ipsa concesserit, ut quamprimum facultas affuerit, ad consummationem extirpationis schismatis, & consecutionis unionis hujusmodi veniamus. Et cum paratam oportunitatem videbimus, curabimus celeriter referare. Si vero interim, quousque ipsarum galearum possit haberi commoditas, pro celeriori expeditione consummationis desiderabilis boni unionis præfatæ, respectu multiplicium mediorum, quæ apposita noscuntur tam gravia in conventionibus ipsis, pro reddendo locum Savonæ securum, ut locus non solum incommodus & valde gravis, inhabilis & indecens reddatur: In aliquo alio loco, utrique nostrum accommodo, convenire nobis ex multis respectibus, maxime pro conservatione status præfatæ Ecclesiæ, in temporalibus potissime, cum in maximo periculo & amissione fore noscitur, quod te latere non credimus, saluberrimum videretur. Super quo placeat celeriter respondere, ut salutaris utriusque provisio impendatur. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, III. Idus Julii, Pontificatus nostri anno primo.

Excusatio Gregorii

colloquiũ fugientis.

DISTINCTIO IIX.

Epistola Benedicti XIII. ad Gregorium XII qua ob tergiversationem Gregorium corripit.

Affectus autoris in Benedictum.

HIs verbis, sive scriptis permotus *Petrus de Luna*, sive fraude, sive dolo, sive prudentia, sive astutia, sive Dei timore, sive hominum laude stimulatus, rescripsit in hunc modum:

BENEDICTUS &c. ANGELO CORARIO &c. Literas tuas sub eodem tenore recepimus iteratas. Quarum tenore perlecto mirari cogimur, nec facile credere possumus, te, sicut ex literis hujusmodi innuitur, ad concordiam inter nos & venerabiles fratres nostros, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales ex una, & nuncios tuos habentes à te & tuo prætenso collegio potestatem parte ex altera, solenniter firmatis & fere per totum orbem divulgatis, velle prætensis rationibus resilire, & causam Dei, ubi de salute agitur tot hæsitantium animarum, quæ non admittit sine dispendio tarditatem, sub dubia dilationis ambiguo dimittere sic suspensam. Nosti enim, & nos experientia sæpe probavimus, quod res ardua, maxime hoc nebuloso tempore, quo proh dolor multorum charitas refrigescit, non possint sine perplexitatum & laborum dispendiis optato fine concludi. Non est tamen nostræ credulitatis, quod Christus Dominus Ecclesiam sponsam suam admittat, spe optatæ conclusionis non adepta, sub tali labyrintho diutius evagari. Sed tandem felici arbitratu videtur, quod eam in statum eriget meliorem. Et si cuncta in arduis non ad vota succedunt, à bono tamen proposito non est faciliter desistendum. Nos jam circa conventa hujusmodi expensas & labores non modicos adhibuimus. Quod si facultas non adesset cum galeis sex, saltem cum quatuor, aut duabus etiam, si tu octo haberes, ad locum decretum fiduciliter pergeremus. Hortamur ergo te per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenus, consideratis, quæ decet super tanto negotio in statera æquitatis appendere, resumtis viribus, de Dei gratia spe concepta, in recta intentione, quam gerimus ipso teste, hanc pacem, in decretis loco & terra, pro complemento eorum, quæ concordata sunt, velis infallibiliter convenire, & dare operam quantum ad te spectare dignoscitur ad agenda. Nos autem non sine laboribus & expensis permaximis, ut præmittitur, dispositi, quæ necessaria incumbebant, Domino concedente ad alia restantia exequenda fiducialiter properamus, omnia ponentes ante oculos judicis cuncta cernentis. Cujus clementiam humiliter imploramus, ut gressus illorum in viam salutis & pacis dirigat, qui in tam necessario negotio recte secundum eum incedunt, & causam ipsius sinceriter prosequuntur.

Benedictus reprehendit Gregorium tergiversantem.

Dilatio dubia.

Bono constanter insistendum.

Admonitio gravis.

Sic rescripsit *Petrus de Luna* venerabili viro *Gregorio*. Ubi præfatus *Petrus* se totum justum & rectum cernitur ostendere, seque excusatum exhibet, & pronunciat, sine culpa sua hoc pestiferum schisma me sponsam tuam tam horribiliter maculare. Apparet etiam hic egregius vir, Dominus *Gregorius*, incusari tanquam schismatis fautor & fotor, dum de his se excusat tanquam impotentem ad præfatum locum veniendi.

Ob

Ob cujus impotentiam prædictum execrabile schisma vires recepit perdurandi, quod usque in diem hodiernum, [qui est annus à nativitate tua M CCCCVIII.] in plenissimo proh dolor, stat vigore.

Inanis pacis quæsitæ eventus.

DISTINCTIO IX.

Metuitur de Concilio Constantiensi, ut quid in eo fiat aut concludatur de unione ac reformatione.

Benedictus & Gregorius ad Conciliũ Const. non venerunt.

EX his breviter lacrymis vultu suffusis horreo, *præfatos viros* cum cœtu fidelium ad *Concil. Constantiense non accessuros.* Cujus *aditus impossibilior* apparet, tum ex loci parte, tum ex parte personarum conventurarum, & viæ distantia, quàm locus ille, qui fuit illis duobus viris cum eorum adhærentibus designatus.

Colloquiũ Savonense dissipatum.

Retractum est igitur sanctum propositum, & causa mea manet suspensa. Et ubi de animarum salute deberet tractari, pes lassus & fatigatus est, antequam arriperetur iter. Tota diligentia solo tenus prostrata. Quis putasset, *tantos viros*, tam ferventer ad sanctam animatos unionem, *pedem retraxisse*, qui viribus ex totis cordatissimi facti illam optaverant? Sed dum tam ignito hanc prosequebantur ingenio, *obtusum* est *insipiens cor eorum*, & facti sunt *fabula mundi totius*, diem usque in hodiernum. O deflenda sanctæ unionis insignis contumacia! O deploranda magnanimorum Principum & magnatum pervicax desidia! O lamentanda mei ipsius inexplebilis vorago, pelagusque teterrimum! Quis me universo ludibrium fecit, & improperium exprobrantium, ut veraciter Mahometi, Saracenorum atq; Judæorum opprobrium reipsa & nomine sim impudenter effecta? Initiata sunt principia pacis, clariora per orbem prædicata. Sed destiterunt & defecerunt, famosioribus finibus, imo turpissimis, rem tam sanctam, tam salubrem, tamque perutilem terminantes. Quis est homo non intelligens, non considerans, tam præcellens negotium, tam periculoso termino clausum, plerisque convitiis, contumeliis & opprobriis exprobrari? Cujus initii finis præoptabilis, ab omni sanctorum ac prudentum expectabatur collegio virorum.

Reprehenduntur Papæ ob neglectam pacem.

Uniri duo isti Pontifices non potuerunt ante Concil. Const.

Clamabant magni, *pax erit in terra nostra*; Clamabant parvi, *redivivo flore gramina virent*; Clamabant mediocres, desiderandus absque dubio affectus, adveniet unionis effectus. Sed proh pudor, tot elevata in gaudiorum tumulos sancta præcordia repulsam sunt perpessa.

Spes pacis inanis.

Restat igitur nil aliud, quam de futuro, de quo fingitur, *Constantiensi Concilio* verba atque dicta sepellere, rumores dirumpere, & famam, ne evolet per aëra, diffringere, ne tantam rem iterum *frustratus* sequatur *finis*, & rumor novissimus pejor fiat priore. Silendum igitur præ omnibus præcipio, ora claudere mando, linguamq;, ne in verba prorumpat, suspendi jubeo, ne ipsa, quæ quondam, o mi Rex, tui sponsa fui unica & legitima, tanquam synagoga videar repellenda. Sed neque hac suffulta fortissima *ratione* silebo: Ad *aliam* illico procedo fortiorem.

Metus publicus de Concilio Constantiensi antequã inchoaretur.

DISTINCTIO X.

De infausto Concilii Pisani exitu, in quo pro uno Papa constituendo tria emersere capita.

UTinam silere valerem, quæ præ tristitia locutura lacrymas insatiabiliter effundere cogor, præcordiorum viscerumque meorum inexplicabiles dolores continere nequiens. Unde amaritudines. Quas utique, si valerem, explicarem, tam flebiliter tamque amaricate ipsas sustineo. Enimvero linguæ deficiunt & hominum & Angelorum, totius vitæ meæ ærumnosas exprimere tristitias, quæ tota spe desolata jaceo, turbata nimis. Et per-

perpendere viribus ex omnibus nequeo, quomodo tantas valeam evadere pœnas, quarum terminum sola ipsa mors ponet, aut seculi hujus lacrymandus & desideratus mihi finis.

Nam quo plus expectationi inhæreo, tanto magis *expectatione deficio*, & quo plura solatiorum speique evomuntur eloquia, tanto plus *ab optato receditur fine.* Cumq; jamjam certus exponatur & figatur omnis amaritudinis exitus, infigitur totius turpitudinis ingressus. Eheu, quid referam misera, quid faciam caliginosa nubecula, quis deducet me, ut solis radios non videam, quis quondam mihi dies vitæ meæ optabiles nunc vero lacrymosos, quacunq; etiam morte obnoxios auferet, ne vel nefandis nefandiora cernam, tristibus tristiora adjectura?

Concilii Pisani descriptio.

Congregavere filii mei congregationem, nescio, cum *Dathan & Abyran*, vel *Mose & Aaron*, *in civitate Pisana*, cum cujus vel quorum nescio consensu Regis vel Imperatoris, aut Papæ aut Principum. Itaque omne concilium summi Apostolici placito, neque sine ejus velle debet convocari.

Gregorio in Concilio Pisano non extitit.

Certissimum tamen est, *in eodem Pisano Concilio Papam Gregorium*, qui tunc currente tempore orbem quasi per universum, Petri de Luna demta parte, pastor colebatur universalis, *non extitisse.*

Gregorius in Concilio Pisano remotus.

Cui à Cardinalibus fuit subtracta obedientia, tanquam schismatis nutritori, die XI Mensis Maji, anno à nativitate tua MCCCCVIII. Omnesque ipsi adhærentes tanquam schisma foventes pronunciavere mulctandos.

Alexander V. in Concilio Pisano electus.

Et ibi electus fuit *Petrus de Candia, ordinis Minorum*, & vocatus est *Alexander Quintus.* Hæc ita facta, orbis testatur Romanus.

Ecce, qualis *unio*! Imo vide, qualis nova *divisio.* Est certe scissura execrabilis. Unum pastorem summum, ut unica esset caula tua, efficere voluerunt, & facti sunt tres. *Bivira* fueram, & *triviram* me fecerunt. O filii prudentes, quomodo plures patres procreastis? Cujus vel quorum deside culpa, sat ignoro. Me præ omnibus matrem novi infelicem! Quicquid de his perstiterit, qui se forsan felicia putavere mancipia. Sed non beatos filios æstimo, quos infelix finis miseros clamat natos.

Disfidia per Concilium Pisanum aucta.

Et adhuc *anno præsenti*, qui currit infeliciter, qui est *annus MCCCCXIV.* doloroso atque timoroso corde præstolor, metuens, *schisma* hoc *inveteratum non posse extirpari.* Rumores igitur, qui de *Constantiensi* currunt *Concilio*, opprimendos consulo, juxta illud Poetæ, qui adjicit causam talia silendi:

Fata Anni 1414. Metus publicus illio temporis de Concil. Const.

Rumores fuge, ne incipias novus autor haberi.

Et idem:

Nam miranda canunt, sed non credenda Poëta.

Nosti enim, *Petrum de Luna* se pro Papa gerere, similiter *Gregorium*, simulque *Johannem XXIII:* E quibus non duo sufficerent, sed superabundarent. Sicq; ex totius mundi prudentia atque sapientia virorum, qui unum caput facere voluerunt, tres Papas effecerunt.

Tres illo tempore Papæ. Concilii Pisani eventus.

Et verendum nimis, *ne*, si *Constantiense Concilium* effectum cœperit, *quatuor ibi formentur.* Ut de tam flebili casu meo etiam in posterum non modo homines, sed & elementa, imo cœli cum suis sideribus lugeant & tristentur.

Concilii Const. periculum.

Unde ego jam anxiata spiritu, quid dicere boni fati valeam, ignoro. *Tacere reputo melius.* Tamen, si aliqua respondere, aut proponere volueris, usque in sequentem sextum reservato librum.

LIBER SEXTUS.

De arduis rebus in Concilio Constantiensis gestis.

METRUM.

Ut Christo Reformationem in Concilio Constantiensi promittenti habeatur fides, Veracibus credendum esse cantatur.

ALloquio dulci loquor, o dulcissima sponsa:
Ad te verba feram, capias ea, sponsa, precor te.
Nec grave pondus erit, nec erit tibi sarcina grandis,
Ut mea dicta notes, quæ tristia corda reformant.
Multi mendaces, fallaces sunt & iniqui:
Veraces multi, justi simul atque beati.
His manet intacta, fluit ipsa *fides* aliunde.
Discute, cui credas, puero non, nec mulieri.
Quem perfudit adeps hæresis, vitare memento.
Prona fides populis, *nec te cito credere malo.*
Quam credas tarde! Cito credere sæpius angit.
Firmo tu credas, tibi quem nullo nocuisse
Tempore, novisti, quem firmum sæpe probasti.
Pessima res, *cito* credere, pessima credere *nolle:*
Pessima *nulli*, pessima *cunctis* credere velle.
Cui credas videas, *cui non credas* videasque.
Huic credas *firmo*, huic *falso* credere noli.
Currit in *ambages* per tempora vita perennis,
Et cito credit amor, celebris amor omnia vincit.
Nunquam *fallaci* credas: *Veraci* credere semper
Consulo, qui semper firma radice movetur.
Nec levibus adhibenda fides, sed quisque notandus,
Qui fert, quis fuerit, & si gravis extitit autor.

PROSA LIBRI SEXTI.

Spes emendationis publicæ in Concilio Constantiensi confirmatur.

DISTINCTIO I.

Promittitur totius religionis reformatio, in Concilio Constantiensi instituenda.

NUnquam, o sponsa dulcissima, homini proposui conjecturas, quasi ex illis fraudulenta aut fallacia tibi vellem ingerere solatia. Quid enim prodesse valeret, mihi ignominiam gignere, & te, in falsitatis suspensam equleo, dolorose relabi in pelagus amaritudinis? Itaque, sicuti lucem in tenebras spargere posse condecet, sic, ut ego rumores falsitati obnoxios retexam, possibile credito, quod tamen te haud latere non dubito. Et quia talem me tuum firmissimum sæpe probasti dilectum tuum, post expectationem tuam nimis dolorosam:

Quæ jam brevi facta sunt tempore & completa, silere non valeo, omnino te excitaturus ad audienda *singularia fortunæ mysteria*, quæ pro te, o sponsa, tam mirando, quam stupendo modo & ordine facta sunt. Tempus est enim, ut te dudum desolatam consolari non desistam, & quæ diu dilata sunt, nunc præ oculis aspicies consummata.

Fortuna Ecclesiæ melior in Concil. Const.

Ut tu ipsa veluti gravi è somno excitata gaudiis atque lætitiis replearis: Nec ut amplius nubilosa appareas, sed tota radiosa præfulgeas, nosse te velim, *totam tuam religionem in omnibus & singulis reformandam.* Erit *pastor unus*, vicarius meus, beatam Petri recturus sedem. Erit & *Imperator unicus*, & magnificus, totius mundi gubernaturus climata. Qui *duo gladii* spiritualia ponent in incrementum, & temporalia ad augmentum, me & justitiam habentes præ oculis, ut quicquid infirmum fuerit, medicina sanetur, & quod fractum perstiterat, redintegretur.

Totius religionis

reformatio in Concil. Const. expectata.

Et ne diutius hæreas, quantocius potero, progredi non desistam, ea, quæ necessaria sunt, atque verissima, locuturus.

Distinctio II.

Felicior eventus Concilii Constantiensis, ratione unionis, promittitur, quam Concilii Pisani.

Opposuisti rationes duas tanquam munitissimos muros, quas revera purissima veritate optime pronunciasti, quibus etiam nullum, ut æstimo, poterit contradicere ingenium, de *Gregorio & Petro de Luna.* Qui summa potiti diligentia unionem facere conati sunt, sed in fine defecerunt concupito.

Pariformiter in *Concilio Pisano* etsi depositus erat *Gregorius*, vel cum causa, seu sine causa, nullus tamen usque in diem hodiernum secutus est effectus. Imo multo magis divisa es propter *summorum Pontificum pluralitatem.* Et rationabiliter formidulosa, quæ proponere debueras, proponebas: Cogeris tamen imbebilli ratione, timore præteritorum compulsa: Ut, si hoc, quod utique magna actum est diligentia, ad optatum non pervenit finem, neque quod futurum dicitur, & speratur, eveniat. Sat nosti, perspicacissimo florens ingenio, hanc non valere formam: *Illa non evenerunt, igitur ista non fient.*

Affectus autoris in Gregorium XII.

Sperandum omnimode, unionem futuram aliquando. Omne enim, quod futurum est, eveniet, nulli dubium. Quod in veritate dictum est, erit *unum ovile, & pastor unus.* Sincerissime continget, etsi non eveniebat, quando eventurum sperabatur. Optime consequitur, ut aliquando speretur futurum, quod omnino eveniet. Magis ergo sperandum est, quod omnino sperari debet, & de futuro sperando nullatenus desperandum, quod certissime eveniet. Nam si futurum est, ut fiat unum ovile & unicus pastor, secundum clarissimam Evangelii sententiam, verissime fiet unus pastor. Nam si non eveniret, utique futurum non esset. Nunc autem & futurum est, & eveniet.

Cur tanto dolore stringeris, &, quasi desperationis laqueum incideris, nimium anxiaris? Per hæc ergo tam brevia recitationis meæ eloquia resipisce, fortiter animata, mœroris, tristitiæ, anxietatisvé cumulis prostrata. Quapropter, nè solum argutiis te exhorter, aut verbosus repertus fuero, re ipsa consolationem tibi injiciam, non verbalem tantum, sed & realem, ut te ipsam etiam supra modum consolari non desistas.

Referam namque tibi, ut opinor, *incredibilia*, quæ tamen ut omnino credas, non modo exopto, sed & veritate coacta credes vel invite. Videbis igitur, nunc *plenitudinem temporis advenisse*, quo vineæ meæ, quæ tu es ipsa, miserebor. Ecce igitur, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quibus exitiale hoc atque flebile schisma pelletur è mundo. Ad cujus ostensionem sequentia satis agent.

DISTINCTIO III.

Quod rite & prudenter convocatum sit Concilium Constantiense per IMPERATOREM SIGISMUNDUM & Papam Johannem XXIII.

MIrando pollens ingenio mundi fabricam ornatissime factam mirabilius decoravi. Cœlum terramq;, aërem atque ignem speciebus variis distinxi. Post quoque creationis primi parentis tempora, ipse in crimen læsæ majestatis incidit, à quo sanguine proprio ipsum in fine mundi & temporis plenitudine expiavi, magno tempore eundem in ærumnis multiplicibus residere permittens, ut se propria salvandum virtute non putaret, elevandumque à tam pernitioso schismate se per me cerneret, lege veteri finem capiente, per quam nec salus unquam homini est præstita, quæ etiam nec peccatum delevit, sed cognoscere fecit. Motus igitur sanctæ Deitatis concilio, atque imperialis dignitatis omnipotentia, Patris videlicet & spiritus paracleti suprema virtute, mundum sceleribus injectum erexi de caligine tenebrarum, ut in omnibus species & ordo relucerent.

Lapsus Adami per Christum expiatus.

Sicque post nubilosum atque exitiale hujus temporis schisma, cum plenitudo adveniebat temporis, ut è medio tolleretur tam nefanda vorago, misi in mundum *fidelem ac strenuum Principem* SIGISMUNDUM, *Ungariæ Regem, in* IMPERATOREM *electum, virum*, inquam, *prudentem, virum ingeniosum, virum circumspectum.* Qui sua *prudentia* huic periculosissimo schismati finem imponet. Qui una cum consilio Domini Johannis XXIII. loco & tempore deputatis, *generale concilium in civitate Constantiensi fecit* congregari *Anno ab* incarnatione mea MCCCCXIV.

Lapsus Pontificũ per Sigismundum Imperatorem emendatq.

Et hoc utiq; *summa providentia actum est*, ut autoritate summi Pontificis concilium hoc celebraretur. Sine cujus præsentia aut legatione omnia Conciliorum facta cassantur & irritantur, ut patet in *Canone, distinctione XVII.*

In Convocando Concilio Const. cautio.

Amplius, schismatici & hæretici per *Principes seculares* & coërceri debent & puniri, ut claret XXIII. *q.V.*

Principum jus.

Item, *ubi materia fidei & unionis tractatur, Imperator & cæteri Principes seculares adinteresse debent*, ut luce clarius notatur *XCVI. dist.*

Status civilis adinteresse, ubi de rebus fidei tractatur.

Ideo *autoritate* summi sacerdotis & *Imperialis Majestatis* hoc sacrum *Concilium est in Constantia congregatum.* Nam vicarius meus Petri cathedram gubernans, nec non Imperator temporalia disponens, duo gladii sunt, quibus totum regitur universum, prout signatur *dist. XVI.* Quibus ratificata *autoritas Concilii.* Sine quorum præsentia non prodesset ipsa convocatio, cum in eis vis tota consistat quoad processum & effectum.

Autoritas Cæsaris & Pontificis in Concilio convocando.

E quibus patulum est, *quam providenter hoc sacrum concilium initium sumserit*, quod non temeritate, sed illorum convocatum est autoritate, quorum dignitas expostulat, ut sine illis nec fieri possit, nec debeat. Unde forsitan consequens est, cum *Concilium Pisanum* hoc prudentissimo caruerit ordine, annullatum esse re & penitus vacuatum.

Prudenter convocatum Concil. Const. Concilii Pisani fata, ex autoris sententia.

DISTINCTIO IV.

Quæ pompa Johannis XXIII. Papæ, & quæ Majestas IMPERATORIS SIGISMUNDI, Constantiam ad Concilium advenientium.

Infaustus adventus Johannis XXIII. ad Conciliũ. A. 1414.

PLacuit ergo SUMMO PONTIFICI, ut iret *Constantiam*, non judicaturus, sed judicandus. Et *venit Constantiam* ante festum nativitatis meæ anni prænominati, cum fratrum suorum venerabili collegio, totaque curia sua, consertus ArchiEpiscoporum & Episcoporum, cæterorumq; Prælatorum solenni comitiva.

Pompa adventis Papæ

REX vero *Serenissimus*, advocatus tuus uni-

Imperatoris

adventus ad concilium.

universalis, in nocte nativitatis meæ præfata, inter quartam & quintam horas, post intempestæ noctis silentium, cum REGINA nomine BARBARA præfatam ingressus est civitatem, plerorumque nobilium stipatus milite multo.

Sigismundus à Sacris rem inchoavit.

Intravit igitur illius civitatis *Ecclesiam cathedralem*, in qua *Dominus Johannes Papa* adventum ejus præstolabatur; *Solio Regis* à dextris summi Pontificis ornatissime ac decentissime præparato. Ad dexteram vero Regis *Regina sedes* parata fuit. Erat igitur *habitus REGIS* cappa rubea, & *corona imperialis* capiti ejus circumamicta. A dextris ejus stetit MARCHIO BRANDEBURGENSIS, continens manu sua *sceptrum regale*. Et DUX SAXONIÆ astabat, *gladium evaginatum* ostentans. Inter summum Pontificem & Serenissimum Principem Regem adstitit COMES ZILIÆ, gener Regis, *pomum rotundum* habens in palma.

Consessus imperatoris primo in templo.

Marchio Brand.

Dux Saxoniæ.

Comes Ziliæ.

Itaque Princeps Ecclesiæ fidelissimus, ROMANORUM REX & *semper Augustus*, legit Evangelium: *Exiit edictum à Cæsare Augusto.*

Sapientia Sigismundi.

Completa vero lectione, *Dominus Apostolicus contulit Ei gladium*, quo te dulcissimam sponsam meam defendere deberet viribus totis. *Juravitq; REX* ille fidelissimus, se id pro posse semper impleturum.

Obligatio Imperat. publica in Conc.

Quid putas, o sponsa dilectissima, tantum *Regem* posse te deserere, talem virum velle te lacerari, qui tanta diligentia per tot viarum discrimina, tot quoque itinerum, nemorum, sylvarumve pericula, mundi totius sacerdotalem dignitatem, atque Principum secularium potentiam collegit in unum. Non, quod ipse *Rex* indigeret cujusquam, cui munere liberalissimo plura dedi, honorem, dignitatem, potentiam, divitias, cæteraque plura, quæ eloquio solent humano inter humana reputari: Sed, ut te divisam congregaret, te scissam repararet, & te demeriam relevaret. Ego enim illum elegi ex omnibus, ut in ipso laborem & operer, præ cunctis mundi Regibus & principibus, miranda, stupenda, & plerisque seculis inaudita. Inveni enim *virum secundum cor meum. Inveni, quem diligit anima mea.* Inveni, cujus adventum eminus expectavi.

Ingens Sigism. sollicitudo pro disfidiis in Ecclesia componendis.

Commendatio Sigismundi.

Venit igitur nunc temporis plenitudo, ut orbem terræ per vitiorum pluralitatem infectum *reformare* velim penitus, nulla labe criminis in eo permanente. Enimvero, sicuti genus, quod peccaverat, humanum per intemeratam reformavi virginem, ex ipsa carnem assumens: Ita per hunc *constantissimum Principem* te, quæ periculoso ac flebili schismate laboras, reparabo.

Reformatio in Concilio expectata.

Spes reformationis ex Sigismundo.

DISTINCTIO V.

Qui Electores, Duces, ArchiEpiscopi, Episcopi, Patriarchæ, cum infinito nobilium ac doctorum numero ad Concilium confluxerint.

Viri illustres in Concilio Const. præsentes.

PRrincipum ac Prælatorum nomina recensere satis est grave, qui præsenti interfuerunt concilio, & usque in præsens assistunt. Neq; sit cura illorum omnium & singulorum computare personas. Sed quarundam censeo pro tuæ consolationis incremento nomina annotare.

Archi Episcopi Germaniæ in Concilio.

De *Almania* fuerunt venerandi Patres, *ArchiEpiscopus Moguntinus ArchiCancellarius, Salzburgensis, Herbipolensis, Patavienſis, Ratisbonensis, Brixiensis, Lubecensis, Mersburgensis, Augustensis, Bambergensis & Rigensis*, qui solenni comitiva civitatem Constantiensem intraverunt.

Leodiensis legatio.

Leodiensis verò per Ambasiatores suos sacrum intravit concilium, & per alios tanquam per se ipsum solenniter venerabiles filios tuos inibi pro sancta unitate visitavit.

Gregorii XII. legati in Conc.

Fuere & viri orthodoxi sub *Gregorii* venerandissimi Patris obedientia.

Episcopi Germaniæ in Concilio.

Episcopi, qui nec venire neglexerunt, hi fuerunt: *Spirensis, Wormatiensis & Verdensis.* Habuerunt etiam & isti mandatum *ArchiEpiscopi Trevirensis, ArchiCancellarii*, aliorumq; de sua obedientia.

Ex Hungaria viri illustres in Conc.

De Hungaria, ArchiEpiscopus Strigoniensis, cum alio ArchiEpiscopo, & duobus Episcopis, & Prælatis & Doctoribus.

Ex Italia multi.

De *Italia*, ArchiEpiscopi, Episcopi, Prælati, Doctores & Magistri, in multitudine copiosa-

Patri-

Patriarchæ in Concilio Const.

Patriarchæ vero, *Constantinopolitanus, Antiochenus, Gradensis & Alexandrinus.* Itemque *alii*, de obedientia Gregorii.

Ex Anglia.

Item de *Anglia* Episcopi, & Abbates & Doctores solennes.

Ex Gallia.

Et de *Francia* similiter.

Principes in Concil. multi.

De *Principibus* vero in solenni comitiva Principalis erat *Serenissimus* filius meus SIGISMUNDUS REX *Romanorum semper Augustus: Dux Saxoniæ* RUDOLPHUS, cum fratre suo: FREDERICUS, *Burgravius de Nuremberga: Dux Magnopolitanus*, vulgariter Mekelenborch nominatus: *Dux* LUDOVICUS *de Slesia: Dux* HENRICUS *de Bavaria:* WILHELMUS *frater Reginæ Bohemiæ: Marchio Badensis: Comes Liliæ*, Pater Reginæ Romanorum, cum primogenito suo: *Filius Ducis de Pomeren, Comes de Montforde: Dux de Deck*, frater Patriarchæ Aquilegiensis: LUDOVICUS *Dux Bavariæ*, qui est comes Palatinus: OTTO frater ejusdem: Et plures alii, quorum nomina omnia recensere prolixum est.

Ex Bohemia & Polonia.

De *Bohemia* vero & *Polonia* Barones multi.

Infinitus hominum numerus in Concil.

Milites quasi sine numero.

Tot igitur fuerunt inibi *Duces, Comites, Barones, Principes nobiles & milites* ut præ multitudine fuerint quasi guttæ maris.

Legati Principũ.

Ambasiatores quoque egregii Principis *Ducis Austriæ* ALBERTI, nec non FREDERICI. Qui etiam in propria persona venit, ut inferius ostendetur. Cæterum ambasiata *Marchionis Misnensis, Ducis Mediolanensis, Comitis Sabaudiæ*, & aliorum Principum, in solenni & ornata accessit legione.

Hæc igitur pauca dicta sufficiant pro tuo solatio, ô sponsa dulcissima, ut efferas, unde depresseras, caput. Noli ergo mœrore prosterni, oculos flebiles averte, vultum tristem in jucundum commuta, & noli opinari, rumores fictos. Verba quæ pronuncio, ipsa re sic facta sunt, & majori certitudine, pluri solennitate, & multitudine Principum abundantiori, atque prælatorum copiosiori, quam enarraverim, nobili turma.

Legati Gregorii XII.

Misitque sanctissimus Pater GREGORIUS *Ambasiatores* suos, venerandissimos Patres, JOHANNEM DOMINICI, Cardinalem, ordinis Prædicatorum, cum uno *Patriarcha*, Prælatis & Doctoribus.

Instructio eorum.

Qui plenum habuere *mandatum resignationis Gregorii*, si & quando alii duo, videlicet *Johannes & Petrus*, resignarent.

Legati Benedicti XIII. & Regis Aragoniæ.

BENEDICTUS vero & *Rex Arragonum* miserunt duos *Episcopos*, duos *Barones*, unum *Protonotarium*, & *Prælatos & Doctores.* Sed non portaverunt resignationis plenum mandatum. De quo *Rex*, tuus filius fidelissimus multum fuit anxiatus, & suo spiritu conturbatus.

Scito igitur, ut progrediar, quod post hæc iterum gaudio compleberis, cum ea recitavero, quæ in eodem *sacro concilio* processum habuerunt.

DISTINCTIO VI.

De Præclaro ordine Concilii in quinq; nationes distributi.

Ordinis decor

OMnia in numero & pondere creata sunt, & *ordine*, & specie, cœlum terraq;, & omnia, quæ in eis sunt. Ut in omnibus & singulis creaturis potentia divina præfulgeat, & bonitas omnipotentis semper collaudetur. Qui & in parvis & in magnis mirabilia facit, & ostendit magnificentiam gloriæ suæ in *sapientia & prudentia* suæ creaturæ. Idcirco namq; creavi hominem ad imaginem & similitudinem meam, ut rationis capax *sapientiam* meam pro posse imitaretur, qua cuncta, quæ facienda sunt, ordinantur & ad finem debitum deducuntur.

Sapientia regula.

Hac igitur *sapientia* tanquam claritate præpollentes viri illi, quos sapientia mea perfudi, *rectores sacri Concilii*, in quibus residet mundi totius sapientia, pro sanctæ unionis fundamento, & horrendi schismatis extirpatione, totam congregationem primo *in quatuor nationes diviserunt*, videlicet *Germanicam, Gallicam, Italicam* & *Anglicam.*

Præclarũ facinus præsidum Concilii.

Distinctũ Concilium in 4. nationes.

Cuilibet verò *nationi præsidentem* præfecerunt. *Præsidentes* vero mutantur de mense in mensem. Ut sic, quod salutiferum

Præsides nationũ.

Nationalia decreta in Conc. *Quinta natio Hispanica in Concil.*

ferum fuerit, & utile, *per omnes nationes communiter concludatur.*

Supervenientibus autem *Ambasiatoribus* inclyti *Regis Arragoniæ*, *quinta natio* statuetur. Per quam salus tibi fiet, cum illi, qui sub *Petri de Luna* sunt obedientia, resilient, & in nostrum convenient ovile, ut per eos, illo rejecto, unus fiat pastor, pro cujus creatione congregatio tota facta est. Neque hæsitandum, illos adventuros, cum Illustrissimus filius tuus SIGISMUNDUS jam in eo *regno Arragoniæ* extiterit, & *Regis* voluntatem ad sanctam inclinaverit unionem. Qui nulli dubium, ambasiatores suos missurus est tempore oportuno, invito etiam, seu contradicente *Benedicto*, quem forsitan obstinatum & pertinacem justitiæ gladius temperabit.

Sigismundi Regis iter in Arragoniam.

DISTINCTIO VII.

Quomodo Papa Johannes XXIII. obtulerit cessionem Papatus sui die XV. Februarii Anno 1415.

NOn sunt fraudati à desiderio suo, qui pro tuæ unionis pace laboraverunt. Et quomodo potuit illorum fraudari intenrio, quorum præcordia in cœlo conversantur? Etsi Moses solus iram patris mei placavit, quid non faciet tam numerosa justorum deprecatio, & continuata diligentia, qui non cessant clamare quotidie, cordis conamine toto: *Domine vide, descende de cœlo, & visita vineam istam, quam plantavit dextera tua.* Neque poterit avertere oculos suos pater meus, quem pro illa, ne pereat, exoro, & me pro reverentia mea exaudire non dedignatur.

Quondam, cum quinque millia hominum in deserto pavissem, discipulos meos compuli ire trans fretum, remanens in terra. At illi venti turbine perturbati, se putavere submergendos. Laborabant tamen, sed parum proficiebant. Donec ego quarta noctis vigilia propinquans sedarem fluctus procellosos. Me igitur adveniente clamabant, se perituros, salvari cupientes. Et, qui tota nocte periculis dediti se juvabant laborando, nisi advenissem, periissent. Sic & multo jam tempore laboraverunt in mari viri orthodoxi, Apostolorum sectatores, sed non profecerunt. Donec ego ipse nunc advenerim, laborantibus succursurus. Et tempestate sedata schismate pulso *tranquillitas* in mari fiet.

Ex resignatione Pontificū

Quæ quidem fieri non poterit nisi *per* illorum *Pontificum summorum resignationem.* Qua effecta tibi, o sponsa, pax erit plena atque perfecta.

Spes tranquillitatis.

Quapropter *Johannes* nunc *Papa* XXIII. *d.* XV. *Mensis Februarii*, *anni* à nativitate tua MCCCCXV se paratum obtulit *ad resignandum* summi apostolatus dignitati, si & quando *Gregorius & Petrus de Luna* resignarent.

Resignatio Johannis XXIII in Conc.

Quam postmodum *resignationem* solenniter patefecit, pronuncians & declarans in hunc modum: *Johannes &c. Pacis bonum omnium bonorum excellentissimum esse, Propheta demonstrat, qui Salvatorem venturum pacis principem appellavit. Unde etiam in ejus ortu chorus Angelorum decantans: Pax, inquit, in terra hominibus bonæ voluntatis. Sicuti autem de ipso Salvatore vox prophetica nunciaverat, ita postmodum in ipso fuit adimpletum. Pacem enim docuit verbo, pacem docuit per exemplum, pacem inter Deum & hominem proprio sangvine firmavit, se ipsum in ara crucis pro nobis offerens, ut ejus merito propitiatus Deus nos ad æternæ pacis gratiam restitueret, à qua primi hominis factum exules nos effecerat. Quæ omnia intra nostra mentis aciem revolventes, ac ejusdem Salvatoris, cujus vices sed immeriti gerimus in terris, cupientes, quantum nobis ex alto conceditur, imitari vestigia, decrevimus, omnes nostros conatus ad illa dirigere, per quæ integra pax Ecclesiæ Catholicæ reddi possit. Eapropter de consilio venerabilium fratrum nostrorum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ CARDINALIUM, communicato CONSILIO cum charissimo filio nostro SIGISMUNDO Rege Romanorum & Hungariæ &c. generale con-*

Diploma resignationis Papalis.

concilium in civitate Constantiensi provinciæ Moguntinæ certo tempore ad hoc deputato convocandum curavimus. Ac postmodum veniente dicto tempore, etsi multa noviter emergentia præsentiam nostram in Italia flagitarent, tamen omnibus postpositis pro tanti boni consecutione una cum eisdem fratribus, non sine magnis difficultatibus, ad ipsum locum pervenimus; Et ne voluntas nostra nobis à Deo inspirata in occulto lateret, sed tanti boni, quantum ad nos attinet, sequeretur effectus: Licet certissima jura, ac universalem quasi obedientiam, & omnia temporalia dominia ratione Ecclesiæ, exceptis paucis, habeamus: Tamen pro consequenda pace viam mutuæ cessionis, quam omnibus consideratis promtiorem & aptiorem credimus, amplecti decrevimus. Confidentes indubie, quod quanto plura relinquimus, tanto majus apud Deum præmium assequimur. Hac igitur consideratione inducti, in publica ipsius concilii sessione, ipso REGE ROMANORUM & HUNGARIÆ PRÆSENTE, *& personaliter assistente, nec non præsentibus pluribus Principibus ac oratoribus multorum Regum, Principum, ac universitatum, studiorum, post missam sancti Spiritus, per nos solenniter celebratam, ipso sacro approbante & laudante concilio, hanc viam cessionis obtulimus his verbis: Ego Johannes Papa XXIII propter quietem populi Christiani profiteor, spondeo & promitto, juro & voveo, Deo & Ecclesiæ, ac huic sacro Concilio sponte & libere dare pacem ipsi Ecclesiæ per viam meæ simplicis cessionis papatus, & etiam facere & adimplere cum effectu, juxta deliberationem præsentis concilii, si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII, & Angelus Corario Gregorius XII, in suis obedientiis nuncupati, papatui, quem prætendunt, per se, vel procuratores suos legitimos similiter cedant, etiam in quocunque casu cessionis vel decessus, aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis schismatis. Quo circa universitatem vestram requirimus & hortamur in Domino, quatenus hanc nostram spontaneam oblationem grato suscipientes affectu ac pro consummatione & complemento tanti boni Petrum de Luna Benedictum XIII, ac Angelum Corario Gregorium XII in suis obedientiis nuncupatos, eorumq; obedientias ad dictam pacem invitantes ad viam mutuæ cessionis celerius exequendæ similiter inducatis, & effectualiter induci procuretis. Et nihilominus pias vestras orationes & preces altissimo in humilitate cordis effundere non postponatis, ut per supernam gratiam mundus pacem optatam, & Ecclesia integram recuperet unitatem. Dat. Constantiæ.*

Resignatio Pontificum optimus modus habitus.

E quibus, ô sponsa charissima, mœroris tui jacula deponere stringeris, quæ tanta pressa anxietate verba elegica depromere consuevisti. Induere igitur vestimento lætitiæ, indumentis tristitiæ contemtis & abjectis.

DISTINCTIO IIX.

De Imperatoris Constantinopolitani & Ecclesiæ Græcæ Legatis ad Concilium Const.

Magna spes de Concilio Const.

PLenitudo jam temporis advenit, in quo per admirabiles filios mirabilia operabor. *Pax* enim unicuique dabitur provinciæ. Insuper & omnibus orbis climatibus pax firmabitur, & quæ non flectetur. Nunc etenim miserabilis miserebor tui, ô sponsa, dudum afflictæ. Neque tantummodo *pax reformabitur Ecclesiæ Romanæ*, sed & orientali pax restituetur religioni. Ut duo illi parietes inter se distantes & disjuncti copulentur ad unam caulam conjungendam.

Orientalis & occidentalis Ecclesiæ conjunctio sperata ex Concil. Const.

Cujus rei veritatem apertissime monstrarunt *Ambasiatores Imperatoris Constantinopolitani*, coram præsidentibus & deputatis nationum sacrosancti concilii, in loco nationis Germanicæ. Qui, literis credentiæ reverenter exhibitis, retulerunt, tanquam fidelissimi legati, *Imperatorem* præfatum, cum omnibus suis, imo *tota Græcia*, subjiciendum Romano Pontifici, schismate è medio rejecto, & pace sanctæ Ecclesiæ indubie radicata. Insuper & se ad Imperatorem Constantinopolitanum dixerunt reversuros, & suis nunciis expeditis ad sacrum concilium redituros. neque, donec ejusdem Concilii finis adesset, recessuros.

Instructio Legatorũ Constantinopolitani Imp.

Quid-

Quidnam modo te movere ad tristitiam possit ignoro, cum cuncta prospere procedant ad tuam faciendam, quam intentione totali peroptas, *unionem.* Plura, quam speraveras, eventura sunt, majora, quam putaveras, promittuntur, & alia futura sunt, quæ forsan sæpissime non eventura timuisti.

DISTINCTIO IX.

Protestatio Gregorii XII. apud Regem Romanorum, qui paratus sit ad probanda omnia pacis & unionis media.

Prolixus autoris affectus in Gregoriũ XII. à sede remotum.

PLeraque contra *Gregorium* eloquia flammivoma diffunduntur in auribus plurium, multorumq; garritus contra sanctitatem illius sparguntur in orbem, detrahitur innocentiæ, deturpatur devotio, offuscatur claritas sapientiæ, & ingenii serenitas venerandi illius viri stultorum imò impiorum ignavia obtunditur. Levant æmuli in aërem voces clamorosas, exaltant insipida verba, guttura laxant iniqua, & corrodunt viri sanctitate repleti ossa jam arentia. Prudentiam illius radiosam astutiis fraudum obnubilant, excusationemque illius veracem auscultare dedignantur: Non, licet innocenter infamatum, virum justum, virum sanctum, virum Deo devotum, in quibus oportunum est, se innoxium ostentare. Judicatur sanctitatis ejus absentia, & condemnatur non auditus, ejus præsentia fallacibus ornata sermonibus, & deponitur pulsus vir tantus à cathedra pastorali.

Placeat igitur audire & legere, quæ ipsius ex parte ad *Serenissimum Romanorum Regem* sic sunt scripta:

Serenissime Imperator. Viscerosissimus Pater vester, Dominus noster Papa GREGORIUS XII. *Majestatem Vestram requirit, ceu Principem fidelissimum & Christianissimum, cujus indefessum exercitium est, semper Turcis & infidelibus non solum resistere, sed acerrimum bellum inferre, unionis Zelatorem, virum utique prudentissimum & Constantissimum, sicut multiplex experientia docet & docuit. Equidem cum secundum judicium humanum, (nam nolo ponere os in cœlum,) Vos & domus Vestra receperitis multiplicem & multipliciter injuriam, nunquam tamen à vera obedientia recessistis, ut verus filius tanti felicissimæ memoriæ patris, incliti Caroli Regis Romanorum, qui tanta cura, tanquæque solennitate, diligenti examinatione præmissa, cum concilio Principum determinavit obedientiam dare Papæ Urbano sexto, & successoribus ejus, ac felicibus natis suis mandavit sub pœna maledictionis æternæ, ut à tali fidei sinceritate nunquam recederent; Cujus inclitissimi Patris gesta nedum per generosos filios fuere irritanda, sed neque per Turcos & infideles. Et quia ex Majestatis officio advocatus estis Ecclesiæ per aspersionem sanguinis Jesu Christi, quatenus flebilibus casibus Ecclesiæ, quibus premitur, succurrere debeatis: Ipse vero Dominus noster* PAPA GREGORIUS *se offert ad quodlibet possibile, non solum de jure communi, sed à plenitudine potestatis usque ad totius sanguinis effusionem, nil sibi reservans præter conscientiæ puritatem, contra quam nullatenus intendit venire, sed potius omnia mala pati, quam mala perpetrare.*

Et pro declaratione tantæ materiæ aliquas conclusiones annecto. Quarum prima est hæc:

Potestas Romani Pontificis non est ab homine, neq; à tota universitate Christianorum, sed à solo Deo, Domino nostro JEsu Christo, dicente: Ego dabo tibi claves regni cœlorum. Hanc conclusionem Doctores solennes Theologiæ diffuse probant.

II. *Papa non potest deponi, nisi propter pertinacem hæresin, quæ est directe contra Deum, & articulos fidei. Hæc est Domini Joh. And. in c. ad hominem, & aliorum Doctorum, sane in fide sentientium.*

III. *Ipse Dominus Papa Gregorius scit ex certa scientia, quod contra Deum & articulos fidei nihil sentit, sed eos tenet, & veneratur secundum communem scholam, & Doctores approbatos per sacrosanctam Ecclesiam.*

IV. *Idem Dominus Papa Gregorius scit certo, quod in pretenso processu Pisano nonnulla mendaciter finguntur per eum facta vel dicta, aliqua vero dicta vel facta recitantur infideliter & imminute, nonnullis vero di-*

ro dictis vel factis adduntur, quæ corrumpunt sententiæ substantiam, in quibus fundaretur intentio æmulorum ad procedendum, si procedere possent.

V. *Dominus Papa Gregorius scit actu, quod nunquam collusit cum æmulo circa viam cessionis, aut quodvis aliud, sed fidelius, quantum in se fuit, illam prosecutus est.*

VI. *Dominus Papa Gregorius scit, se non esse perjurum, sed semper fuisse & esse paratum ad viam cessionis, conditionibus expressis in forma juramenti adimpletis. Istam conclusionem probant etiam æmuli, quod in prætenso processu Pisano probant Dominum Petrum de Luna nunquam voluisse cedere.*

VII. *Per cessionem ipsius nulli acquiritur jus papatus. Patet, quod datur jure per electionem.*

Ex his infero, quod stante protervia æmulorum & damnabili pertinacia, Dominus Papa Gregorius sine peccato mortali deserere non possit papatum. Quod tunc daret cornua peccatoribus. Sed utique cederet, si servaretur post cessionem suam electio canonica, ad quam vult dare omnem operam efficacem, ipso etiam permanente in quolibet infimo statu.

Item ex dictis infero, Dominum nostrum Papam Gregorium non posse ignorare, se esse verum Romanum Pontificem, præsupposito, quod aliquando fuerit, sicut totus mundus testatus est.

Patet ex dictis, quod ex falsis attestationibus depositus est. Igitur Papa Gregorius, unionis Zelator, non solum in genere se offert ad omnia possibilia, sed etiam ad particularia descendit, non excludens aliqua rationabilia, hic non expressa.

Primo, si videretur, quod unio posset dari per viam subtractionis obedientiæ & omnis subsidii, *ad quamlibet partem paratus est, quantum cum Deo potest subtractionis licentiam fidelibus dare.*

Si via cognitionis *videretur aptior, ad eam descendit, dummodo judices eligantur non suspecti, circa quos eligendos de Serenitate vestra confidit.*

Ac si per viam generalis concilii *incedendum videretur, Serenitati vestræ committere vult facultatem ipsum convocandi quoad locum & tempus, sic tamen, ut numerus partium sit æqualis, & ut Vestra Majestas habeat solvere dubia, quæ in ipso oriri possent.*

Verùm, si diu postulata via cessionis magis placeat, Dominus noster Papa Gregorius Celsitudinem Vestram constituit in procuratorem irrevocabilem ad cedendum, dummodo alii, qui sibi sedem Romanam usurpant, hoc idem faciant, & cedere pro uno, sit & cedere pro quolibet. Nam aliter non sequeretur unio, ut patet ex dictis.

Non tetigi viam justitiæ, quæ exosa est malis, & electis pretiosa, qua spoliatus primo debet restitui, quam contra ipsum aliquid proponatur, & per quam ipso jure omnis electio secunda est nulla, nisi prius prima per senten.. tm cassetur, quæ utique esset via regia. Et Dominus noster Papa Gregorius esset dispositus mox restitutus cedere simpliciter & absolute. Nunc videat Vestra circumspecta Majestas, quid amplius per sanctum & justum virum possit fieri, &, ut sic loquar, ipse major promtus est bene consulenti obedire filio, Vobis, singularissimo Domino meo.

DISTINCTIO X.

De abdicatione Gregorii XII. spontanea à Papatu, & Cardinalitia post eam dignitate.

AUdite cœli, quæ loquar, audi sponsa mi dulcissima, quam roseo sanguine meo mercatus sum: Audiat terra verba oris mei: Concrescat ut ros eloquium meum, pateant singulorum aures, attendant potentum præcordia, advertant divitum corda, rem justam, non fabulam de sancto & justo viro, Viro inquam devotissimo, viro scientissimo, atque fidelissimo pastore tuo. Quantum ejus affectum quantus secutus extiterit effectus, secutura docebunt. Non fuere inania viri illius mellita eloquia, qui ad caulam sanctæ unionis te sanctissimam sponsam meam reducere posse pro toto conatur. Vere bene *Angelus* est nomen ejus, secundum quod scri-

Impensus autoris affectus in Gregorium XII.

ptum est: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam meam ante faciem tuam.* Veneranda hujus viri virtus per secula manifestabitur, qui probatus, ut aurum in fornace, stabilis mansit custos tuus, neque prece aut pretio à conscientiæ suæ serenissima puritate valens segregari, diu jam optatam ponet in mundo pacem, schismate flebili penitus extirpato. Ad hoc igitur gloriam famamque universæ machinæ mundi celebrandam, tanto pro te mei tuique compulsus amore, effecit, ut neque illius nomen mirabile oblivioni tradi possit, sed portento quodam Angelicæ serenitati comparetur. Totus ergo clerus laudem concinat dignam, & plebs universa lætis respondeat vocibus: Benedictus *Angelus*, qui misertus est calamitatis sponsæ meæ, quam gravissimo crimine fœdatam execrabili quoque scissura divisam ipse & purgavit & integravit. Radio etiam sui luminis ipsam tenebris tetris injectam illustravit.

Commendatio Gregorii XII. Papatui cedentis.

Gaudeant igitur universa climata mundi de tanta viri gloriosa serenitate, qui nobilem virum *Carolum de Malatestis* solennem misit *Ambasiatorem ad sacrum Constantiense Concilium* cum pleno mandato, ratificans, roborans & autorizans sacri Concilii egregiam congregationem *die Julii quarta, in sessione publica, loco solemni & devoto.* Cujus roborationem sacrosancta synodus inibi humiliter & sinceriter acceptavit.

Carolus de Malatestis legatus Gregorii XII. ad Concil. Const.

Atque idem ipse *Carolus* papali dignitati, qua fultus extiterat, ab ipso Gregorio habens resignationis mandatum plenissimum, simpliciter & absolute renunciavit. Hinc omnes sunt sublati processus, sententiæ & pœnæ, hinc inde per utrasque obedientias unam in alteram latæ. Unde revera scandala plurima, quæ ante tempora floruere, rescissa sunt, rumoresque & infamia tanto seculo perpetrata penitus per illius venerandi patris resignationem sunt ejecta. Agmina cœlorum tripudiant, inferi tremunt, & pace replentur homines bonæ voluntatis. Unde merito debebis & tu jubilare, inclita sponsa, de tam nuncio solenni, & ambasiata cunctis seculis peroptanda.

Resignavit Gregorius Papatui per Commissarium.

Sed & videamus nunc, an tantæ mercedis & meriti sit illi venerabili viro facta compensatio, qui se humilians ad infima viam regiam ob tuæ zelum unionis postponebat.

Factus est igitur *Episcopus Cardinalis*, qui erat pastor & custos principalis. Ut ex humilitate mereretur exaltari, qui, ut schisma pelleret, etiam in quocunq; statu basissimo cupiebat remanere.

Gregorio XII. Papa factus iterum Cardinalis.

Nec non & ejus remansere *Cardinales. Officiales* verò etiam in officiis suis hac conditione sequenti perdurarunt, videlicet quod cũ aliis in officiis concurrentes in obedientia *Johannis*, debeant determinationi sacri concilii subjacere. Cætera vero, in obedientia ejusdem venerandi Patris rationabiliter & canonice facta, sunt omniquaque confirmata.

Gregorii resignantis Cardinales ac officiales non sunt læsi.

Amplius, quanta devotione & humilitate præfatus venerandus Pater de summo ad imum descenderit, ipsius rei gestæ testatur historia. Manifestum fecit, quod in ipsum seminarium schismatis non erat retorquendum, sicuti tamen quidam ejus æmuli ipsi imponebant. Finis namque, concludens onia, clarissima veritate monstravit sinceram hujus ac præfulgentem conscientiam, quæ præ omnibus mundi divitiis ab omni est homine appetenda. *Fecit*, inquam, *quod dixit*, nihil sibi retinens præter *conscientiæ puritatem.* Auscultet ergo omnis terra, & rosæ atque lilia applaudant odoris sui mira dulcedine, qualiter *rosa & lilium inter spinas* concreverunt, nec tamẽ spinis curvata.

Pura conscientia in Gregorio abdicante encomium.

Ipse quidem *Gregorius rosa* fuit, quæ de spinis crevit, nullo tamen spinarum aculeo puncta; Ille etiam & *lilium*, cujus rectitudinem atque puritatem spinæ non deflectunt. Pulchra igitur rosa fuit albedine puritatis, pulchrior rosa ardore sanctitatis, pulcherrimum lilium propter pacem unionis, quam voluntarie non coacte tibi dedit, o sponsa dulcissima, ad quam cordialiter semper anhelavit. Nam vir iste tantæ reverentiæ, audita *renunciatione*, per illustrem virum *Carolum de Malatestis* effecta, statim & absque mora, ut, quantum in eo esset, subito tibi pax redderetur &

Encomia sponte resignantis Gregorii.

Gregorii XII. abdicatio Papatus.

& unio, summi Pontificatus insignia deponebat, descendens ad suos Cardinales, & ad sui ipsius pedes residens, illis, quorum erat caput & principium, se combinavit.

Cardinalitia dignitas Pontifici reddita.

Nomine quoque dignitatis summi Pontificis rejecto, *Angelum* se nominat *sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopum Cardinalem.* Cæterum ut summam ostentet obedientiam puramque conscientiam vir veteranus, *sacri arbitrio concilii* reliquit, quod, si ipsius præsentiam habere gestierint, præsto sit, cum reliquis Cardinalibus adventare.

Sustentatio Pontificis remoti.

Quibus omnibus pensatis, sacrum concilium *die Julii XV* provideri fecit huic venerando patri super honestate status & victus necessitate. Quæ duo talem decent sanctitatem, & viri devoti justitiam. Mansit igitur, sacri determinatione concilii, summo Pontifici futuro *immediatus Cardinalis.* Ut, qui se multum humiliaverat, multum exaltaretur. Donec *Petrus de Luna*, qui se etiam pro Romano gerit Pontifice, resignet. Quo facto, in arbitrio stabit summi Pontificis, quem illorum alteri velit præferri.

Cardinalis immediatus.

Marcha vero *Anconitana* pro victus sufficientia, quoad vixerit, ipsi per præfatum sacrum concilium est tributa.

Ecce, quam breviter attigi istius sancti & justi viri propositum sanctum, cujus omnia gesta ex fine dignosci potuerunt. Unde & æmulorum quorumlibet perfidia seu dolositas confundi poterit & contemni.

Distinctio XI.

De damnatis in Concilio Constantiensi dogmatibus Johannis Hus, Hieronymi Pragensis, & Johannis Parvi Parisiensis Theologi.

AUdisti, quæ pro tuo solatio veritate sincerissima locutus sum. Nihilque jam dixerim, cujus effectus ostendi non possit, eademque tu jam olim impossibilia credidisses, quæ nunc certissimo fine cernis conclusa. Et ad ista credenda vix admonitione securissima te poteram inducere amaricatam animo, & spiritu hærentem nimis tristi. Sed ut & tuum quondam desperatum quodammodo animetur ingenium, nosse te velim, quod prius conjectans prophetavi, jam evenisse.

Tu namque superius *libro tertio dist. VIII.* hæreticos mihi proposuisti, eorumque errores, sectas, & hæreses tibi nocituras conquerebaris. Et ibidem *Johannem Wiklef, & Johannem Hus* nominibus suis nuncupasti. Quorum & errores, opiniones & sectas & hæreses ego, tibi ad præfata respondens, manifeste posui, adjiciens & inibi, eos, qui adhuc vivant, hæreticos, *Johannem* videlicet *Hus*, *Hieronymum de Praga*, merita mulctandos pœna per sacrum Constantiense Concilium. Cujus rei evidentiam ipsa docebit & attestatur historia.

Wicleff doctrina in Concilio damnata.

Nam *VI die Mensis Julii* in publica sessione damnati fuêre articuli *Johannis Wiklef*, hæresiarchæ damnatæ recordationis.

Hus corā Concilio comparuit.

Ubi & ipse *Johannes Hus*, hæreticus impiissimus, fuit *adductus*, & ipso præsente *articuli* ejus erronei, de ejus libris extracti, fuerunt *condemnati.* Hinc & contra eundem versipellem virum, & pertinacem hæreticum, & doctrinam illius insanam *sententia lata* est, in qua ipse à tota Christiana religione *hæreticus* pronunciabatur, & *degradandus* officio sacerdotali. *Libri* etiam, quos compilaverat, & specialiter *tractatus*, quem intitulavit *de Ecclesia*, mandabantur *comburendi.*

Condemnatus.

Libri ejus combusti.

Post quam justam *sententiam*, per *Archi Episcopum Mediolanensem*, & reliquos venerabiles Pontifices, tanquam commissarios, ad hoc opus deputatos, in præsentia tam venerabilium Patrum fuit *degradatus*, demumque brachio traditus seculari, *igni traditus est*, & horrendam, quam malevola meruit anima, pœnam expertus est, initians à pœna ignis temporalis, usque ad gehennæ crudele incendium ac æternum.

Degradatus.

Combustus.

Et ne illi, qui de sua secta illi adhæ-

Cineres Husſi in Rhenum conjecti.

ferant, reliquias de ſuo corpore aut veſtibus tollerent, *cineres* tam corporis maledicti quam veſtium damnati collecti *in medium Rheni ſunt projecti.*

Ecce novella certiſſima nulla confecta falſitate. Qua ex re te ipſam de cætero conſolare, & ſpiritum triſtantem revoca in gaudentem animam, & redivivam te totam cernes, omnibus anxietatibus, doloribus & mœroribus extirpatis.

Johannis Parvi dogma

Cæterum *in eadem ſeſſione quidam articulus falſus fuit condemnatus*, qui ſequitur ſub hac forma: *Tyrannus quilibet poteſt & debet licite & meritorie occidi per quemcunque vaſallum ſuum vel ſubditum, etiam per inſidias & blanditias vel adulationes, non obſtante quocunque juramento, ſeu confœderatione facta cum eo, non expectata ſententia vel mandato judicis cujucunque.* *in Concilio Conſt. damnatum.*

Hæc igitur acta ſunt contra hæreticos, ipſorumque errores & hæreſes. Fautores vero eorum in *Bohemia* nominatim citati ſunt, qui revera videbunt in poſterum vel pœnis jurium atque legum coacti, aut pœnitentia ducti, ſe male ſenſiſſe, & contra ſanam doctrinam & Romanam Eccleſiam inaniter & doloſe fulminaſſe. *Aſſecla Husſi Bohemi ad Conciliũ citati.*

Distinctio XII.

De Hieronymi Pragenſis recantatione, in Concilio Conſtantienſi facta.

ET tu, ô ſponſa dulciſſima, ex hæreticis, qui tibi multum noceuere, alterum propoſuiſti, prænominati *Johannis Hus* damnatæ memoriæ *diſcipulum*, qui præfatorum *Johannis Wiklef* & *Johannis Hus* hæreſiarcharum errores, ſectas, & hæreſes confirmavit. Cujus præſumtuoſa audacia in *civitate Pragenſi* homicidia plura commiſſa ſunt, rumores atque infamiæ contra ſanctam fidem increverunt, & mala quaſi innumera ſunt perpetrata.

Revocavit Hieronymus Pragenſis in Conc. Conſt.

Hic tamen quanquam tantorum patrator malorum reſipiſcebat nuperrime, *XI die menſis Septembris* ſe paratum exhibens, ſanctæ ſemper obedire Romanæ Eccleſiæ, atque ſacro generali Concilio, quod univerſalem Eccleſiam repræſentat. Hinc & præfatas omnes *revocavit* hæreſes & errores.

Formula revocationis Hieronymi Prag.

Et ut clareant hæc ſingula, *revocationem* ejusdem ponam, quam ipſe propria ſcriptam manu ore ſuo, ſicut hic ſequitur, revocavit: *Ego Magiſter HIERONYMUS de PRAGA, Magiſter in liberalibus artibus, generalium ſtudiorum, Pariſienſis videlicet, Colonienſis, Heidelbergenſis & Pragenſis: Libera mente, nullo cogente aut impellente, hoc proprio meo ſcripto coram vobis reverendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis ArchiEpiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, coramque Doctoribus & Magiſtris variarum facultatum doctiſſimis atque præſtantiſſimis, coramq; cæteris Dominis quorumcunque ſtatuum aut graduum, ſingulis & univerſis hujus ſancta congregationis, profiteor, quod ſto & ſemper ſtare paratus ſum firmiter & fideliter cum ſancta, catholica, Apoſtolica & Romana Eccleſia, in determinationibus & ordinationibus ejus, tanquam cum matre mea, & Domini mei ſponſa, atque Chriſti fidelium, nedum decretorum ſed & decernendorum vera magiſtra, cui ſenſum meum non æquans ſeu præferens, ſed coaptans atque reverenter ſubjiciens, nunc & ſemper humiliter obedio, atque ſemper obedire paratus ſum, prout filius fidelis, qui tenetur fideliter pro viribus ſuæ honeſtiſſimæ matris tueri honorem ubilibet, & fortiter & conſtanter defendere. Et inſuper conſequenter eadem libertate profiteor, vere atque veridice, quod cum ſacroſancto Conſtantienſi generali præſenti Concilio, quod quidem modo concilium dictam Dei Eccleſiam repræſentat, ſto & ſemper ſtate paratus ſum, fideliter & firmiter, ſuper determinationibus & ordinationibus ejus, & præſertim in his, quæ ad fidem pertinent, ratas nedum tenens eas aut profitens, ſed conſtanter tenturus & profeſſurus: Et cum hoc ſto cum ſacro concilio, atque ſemper ſtabo in determinationibus ſuper condemnatione XLV articulorum Magiſtri JOHANNIS quondam WIKLEF, aut ſi omnes non ſint illius, ſint cujusvis alterius, & XXX articulorum Magiſtri JOHANNIS HUS, directe atque ſincere profitens, rite ac utiliter*

ter

ter illas esse condemnatas sententias, tanquam Christi fidelibus obnoxias, atque dictam ac redictam sanctam Dei Ecclesiam turbantes, in hoc nullum præjudicium faciens, sed & neque facere intendens veritatibus sacris, quasi dicti viri scripserint aut docuerint scholastice seu populariter. Et de articulis XXX Magistri JOHANNIS HUS partialiter loquens dico vere atque veraciter, quod dum mihi prima fronte ad videndum erant oblati in ea forma, in qua nunc stant, ejus eos esse non credidi. Sed postea informatus quasi plena informatione per egregios Doctores atque Magistros, qui præfato JOHANNI HUS in illis formis coram præsentia sacrosancti Concilii eosdem legerunt articulos, illius esse didici. Verum ad removendum totum scrupulum mentis pro proprio libro prædicti redictique Magistri JOHANNIS HUS sedulo diligenterque institi. Et tandem librum ejus scriptum propria manu illius adeptus sum. Et tempore accepto & acceptato cum tribus in Theologia sacra solennibus Doctoribus duplicatos jam sæpe dictos articulos à primo incipiens usque ad ultimum perficiens cum ejus libro contuli, eosque omnes & singulos in illis præcise formis, in quibus damnati sunt, in ejus libro sua propria manu scripto reperi. Et proinde secure istas per sacrum præsens generale concilium confutatas, reprobatas, atque condemnatas sententias profiteor confutandas à Christi fidelibus, reprobandas atque condemnandas, non omnes ut hæreticas, neq; omnes ut erroneas, sed quasdam ex eis ut hæreticas, quasdam ut erroneas, & quasdam ut scandalosas. In hoc Deum testor, non intendens in aliquo præjudicium facere aut personæ, aut ejus, meo videtur, bonis moribus aut sacris veritatibus plus quam pluribus, quas audivi ab eodem & in scholis & in prædicationibus popularibus plurimis. Imò ut verum fatear, propter ejus dulces mores, & ante hoc propter sacras veritates, quas instanter explanando verbum Dei ad populum referebat, intimus amicus eram personæ, & gratia veritatis defensor ejus honoris, ad quemcunq; locum deveneram. Nunc scriptis ejus propriis certificatus, ejus errorum amicus esse non volo, eo quod semper meo fideli & directo proposito cultor veritatis sum & eram. Esto, quod sint amicus & Plato & Socrates, sed magis amica veritas mihi est, & esse debet. Nec, rogo, hoc scripto meo, quod libere & voluntarie trado, quisquam offendatur in animo, ut, quasi detractor & calumniator honoris mei, putet seu adstruat quosque revocare aut retractare per præsens scriptum errores, seu quascunque hæreticas sententias: quod de gratia Dei certus mihi sum, quod nunquam in scripturis sacris aliquem errorem aut aliquam hæresin pro fide tenuerim, quanquam & eos audierim, legerim, quos jam sæpe dicta sancta damnavit Ecclesia, nunquam scienter autoritatem eorum præferens autoritati matris meæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Tandem hæc præscripta singula & universa per me in stilum redigens & manu propria scribens nunc libere & voluntarie trado meæ propria manu primùm Dominis & Reverendissimis Patribus Dominis Cardinalibus, præsertim causæ meæ deputatis, & cæteris, rogans reverenter, ut dignentur ista scripta ex parte mei juxta sapientiam ipsorum pleno offerre sacrosancto præsenti concilio, ut hoc scriptum fiat sempiternum munimentum fidei meæ orthodoxæ, & post mei honoris: Etiam, ne quis sit in quoquam angulo mundi, qui audeat meo nomine istas reprobatas & damnatas per hoc sacrum concilium tueri aut approbare sententias, & ut toti Christianitati resplendeat, ne dum me istis sententiis non esse propitium, verum etiam esse atque continue fore sempiternum inimicum. Scriptum per me atque lectum in Constantia, in loco sessionis, in majori Ecclesia, coram congregatione magna, proxima feria quarta post diem nativitatis sanctissimæ Dei virginis & genitricis Mariæ. Qua lectione sic, ut præmittitur, per me facta ulterius requisitus ego Magister HIERONYMUS prædictus iterum de quibusdam, ad quæ alias sub conditione respondi, ad eadem cathegorice & sine conditione respondeo, & dico, quod jam plene & sufficienter informatus de sententiis latis per sacrum Concilium contra JOHANNEM WIKLEF quoad condemnationem doctrinarum ejus, librorum, & personarum, per hoc sacrum Concilium damnatarum, eidem condemnationi assentio, & approbo eandem, quantum in me est, & quæcunque præsens Concilium damnavit aut damnabit, habeo & habebo pro damnatis, & hoc coram toto cœtu hujus sacri Conc. proprio juramento affirmo.

DISTINCTIO XIII.

Epilogus.

REspondisse me arbitror invectionibus tuis singulis, quas in medium produxisti, neque ad aliquod inductum me recolo siluisse. Quapropter, si in animo tuo aliquid vagari contigerit, proponere ne differas, ut sopitis quietem impedientibus sic saltem dormire compescaris. Aut si alia quæcunque ea fuerint, ruminaveris, aut fortuito interim acciderint, edissere, responsum gratanter acceptura. Et *ad librum septimum* reservato verba proponenda & sententiam promulgandam.

LIBER SEPTIMUS.

De Periculis & causis dubiis ac ancipitibus in Concilio Constantiensi.

METRUM.

Querela Ecclesiæ de periculis novis in Concilio redeuntibus.

PArce mihi, nam parco tibi, dulcissime sponse.
Si taceam, plango: si loquor, elacrymor.
Facta velut *vidua*, velut omnibus omnia facta,
Stultaque & insipiens, sum miseranda nimis.
Infelix ego sum, felicibus orta catervis:
Quæ felix fueram, probra tacens patior.
Cur tibi, sponse meus, placuit, quod carperet iter
Sponsa tui *misera*, te patiente Deo.
Quid juvat, e throno tantos te cernere posse
Planctus, tot lacrymas, tot gemitus genitos.
Non fuit in mundo tanto miserabilis unquam,
Qui mihi par fuerit, qui similis fieret.
Sum *monstrum*, monstri, monstro deformius omni,
Me monstrant omnes: *Fabula* facta nova.
Heu, quid agam! Plorans plorabo? Nec satis illud
Sufficiet menti, quæ vaga, quæ misera.
O fortuna volans, ubi nunc es? En mea versa
In planctum est cithara: Fit lacrymosa dies.
Summa: Mihi fuit in specie spes firma, manendi
Absque dolore gravi. Sed dolor, hincque pudor.
Dum putat exire *captus* rete flumine *piscis*,
Volvitur è medio jam lacerandus humo.
Cerno quidem, cerno nihil infelicius unquam,
Quam spem frustratam, quæ rata facta fuit.

PROSA LIBRI SEPTIMI.

De magnis, arduis ac difficilibus fatis ac momentis quibusdam, in Concilio Constantiensi incidentibus.

DISTINCTIO I.

De Johanne XXIII. qui post resignationem turpi fuga salutem quasivit, pristinam dignitatem Papalem affectans.

SUperius memorasti exultabilem *Johannis Papæ XXIII. resignationem*, quæ exitiale hoc atque nefandissimum schisma pelleret è medio, & quasi jam unitatem inveneris, lætatus es. Eâdemque, ut asseruisti, effectâ, pacem plenam, unionemque perfectam prophetabas adventuram.

Ecce *resignatio facta* est, nec dum pacem vides perfectam aut plenam. Imo *novissima prioribus pejora* sunt effecta.

Comparatio Johannis XXIII cum Achabo ac Iesabel. Timeo, ne *spiritus* ille, qui decepit *Achab*, & illi illuserit, aut certe *Jesabel*, illa impiissima mulier, quæ Naboth innocentissimum virum falso peremit testimonio, *illi consuluerit*, ut derelicto unionis sanctæ proposito, cui inversabatur, ad schismatis confirmationem procederet cum effectu, & me innocentem sævis obrueret lapidibus, tam atrociter quàm traditorie perimendo.

Nescio, an quæ fuit *infamia* ista major, cui se subdidit ille, qui resignavit summo pontificatui, de quo præsens versatur sermo: *Sceleratissimus* inquam *homo* ille, qui *novo genere mentiendi* se amicum tuum meumque monstrarat: Ut sic sub *doli* præcipitio me immaculatam præcipitaret, & novello inveniret ingenio, Satanæ calliditate seductus? ut quæ *verbo* atque *scripto* composuit, & eleganti pronunciabat eloquentia, coram totius Christianitatis præsentia, *facto* ipsemet discinderet, & relictam tunicam inconsutilem scinderet atq; divideret, in gentilium Judæorumque cachinnum ac derisum, & meæ lacrymosæ matris infamiam, scandalum ac gravamen.

Novum genus mentiendi Johannis XXIII

Resignatio fallax.

Comparatio Johannis XXIII cum Absalomo. Ecce *Absalon* parricida patrem suum persequitur: Et iste patrem, matremq; interficere machinatur. O horrendum, & mundo notorium flagitium.

Fuga Johannis XXIII. è concilio. Fugit sanctam congregationem *Balthasar Cossa*, ut novum schisma generet, qui utique animam & corpus pro me exponere deberet.

Sed attendamus *modum*, & intueamur *fraudem fugæ*, quam scandalose confinxit, Sathanæ stipatus auxilio.

Achitophel revixit in dando tam maledictum consilium, quo tota Christiana religio vitiatur. *Recessit*, inquam, sceleratissimus homo ille *nocte*, cum jam tenebræ essent. Sicut *Judas* capta buccella panis noctu egressus est à sancto Concilio tuo, & Apostolorum tuorum, te traditurus. Recessit & iste à sancto Concilio filiorum tuorum nocte & in tenebris, atque mortis umbra. Neque minor culpa istius, quam illius. Cum & uterque te tradere præsumserit, & quantum in utroque fuerat, te tradiderunt. Et si acute perspicitur istius crimen, gravius ostenditur quam illius. Ex fine namque omnia denominantur. Nunc ergo ex traditione Judæ mundus salvatus est, & fides atque Evangelium introiit in mundum. Sed ex istius recessu mundus, fides, & Evangelium peribunt, perfidia & rebellio crescent, hæreses, schismata & errores innovabuntur. O quam plangenda fuga, cujus occasione infirmatur religio Christiana. O miserabilis exitus, qui desolatam efficit pacem ac unionem, huc usque inevitabiliter exoptatam. O fera pessima, quæ devoravit dilectissimum Joseph, quem Ruben quæritans non invenit.

Nox præsidium fugæ.

Comparatio Johannis XXIII cum Juda proditore.

Cesit igitur, & *elusum est sacrosanctum Concilium*, comitantibus plerisque, qui ejusdem profugi atque vagi viri vestigia

Elusum Concil. Const.

gia miserabili infectantur comitiva.

Perjuriũ Johannis XXIII.

Nec suffecerunt clandestinus illius recessus, tempus nocturnum, hora illicita: Sed & *dolus fregit promissionem, votum & juramentum*, quæ ille publice coram toto fidelium cœtu pronunciabat.

Fugiens habitum mutavit.

Hæc egit & perfecit in *habitu dissimulato* & indecenti, per fraudem & astutiam, ut infringeret totius sanctæ religionis speratam unitatem. Peccavit igitur major, & *alii secuti sunt*, qui merito & de jure animam & corpus pro te exponere usque ad mortem debuerunt.

Encomia trium Pontificũ Johannis XXIII. Urbani VI.

Inventus est igitur summus & principalis *schismatis fautor*, excellens duos ejus prædecessores Neapolitanos, in omni malitia exercitatos: *Urbanum* videlicet *sextum, parricidam*, qui propria innixus malitia quinque de suis Cardinalibus uno Episcopo adjuncto interimi mandavit & occidi: Post quem *Bonifacius IX*, qui *avaritia illectus* totam fœdavit Christianam dignitatem. *Bonifacii IX.*

Sed vir iste quantis fuerit de facto convictus illecebris, *articuli* contra ipsum annotati nude manifestant.

Ex quibus colligo, pacem & unitatem Ecclesiæ dari non posse: Cum *Balthasar* totam illam congregationem dissipaverit; Et Sathanæ versutia firmatus, ad proprios lares venturus, pejora faciet, quam fecit usque in diem hodiernum. Nam tyrannide armatus non curabit, quid agat mali, dummodo suam impiam exequatur voluntatem. Tota illi adhærebit Italia, Francia se illi reuniet, & in cassum laborabunt, si qui remanserint Constantiæ, unionem, pacemque inchoatam perfecturi. *Pericula ex fugiẽte Johanne XXIII.*

Distinctio II.

De Auxilio Austriæ Ducis FREDERICI, Johanni XXIII. è Concilio fugienti lato.

Per Sigismundum à fuga revocandus Johan. XXIII.

SEd posses, ô mi sponse, congruenter dicere, *Regem*, defensorem meum, tantæ potentiæ, imo armatæ militiæ tam strenuum possessorem, ut & Papam cum suis reducat invitum. Ut sic desiderata perficiatur religionis tuæ pax & unio perfecta.

Friderico Austriæ Dux juvit fugientem Papam.

Facile quidem hoc crederem, si FREDERICI *Ducis Austriæ*, viri potentissimi, manus non adesset, qui præfato JOHANNI auxilium pariter & consilium, præbuit, præbet, & præbebit. Qui, ut asseritur, attractus munere illius, in castris & oppidis suis ipsum securavit, potens in despectum cujusquam eundem deducere, & ad patriam suam remittere manu sua armata ipsum juvante; Cujus exercitus arenæ maris dicitur comparari.

Quapropter timendum, ne, sicut in *Pisano Concilio* unum Papam creare conati sunt illi, ad quos electio spectare videbatur, & accreverunt *tres Papæ*, & in fine novissima prioribus pejora sunt effecta: Sic & nunc *fugientem Johannem Papam XXIII*, & ad lares patrios rediturum, pro Papa constituant & habeant. *Petrus* etiam *de Luna* non resignabit. Et hi, qui sacro inhærent Concilio *tertium creabunt*. Et ita deinceps schisma fovebitur, & me miserabilem matrem impiis telis confodient, & crudelissime lacerabunt. *Publicus metus sub Concilio Const. ex fuga Papæ.*

Horum omnium & singulorum cum recordata fuero, quomodo incidet in mentem horrendi hujus casus mei & infortunii mei plangendi felix aut *optatus finis?* Hæc me, sponse mi dulcissime, commovent & perturbant. Æstimo, me non inculpandam, cum & causas mei indicibilis proferam doloris, quas tibi, tanquam sponso meo fidelissimo, occultare non audeo, neque easdem te latere volo, cui omnia mei secreta præcordii manifesto.

Distinctio III.

De Johanne Hus, qui ab incendio cultus pro Martyre ab assecis.

PLura, imò plurima occurrunt, & mirabiliter multa, sanctam & desideratam deprimentia unionem. Superius etiam eleganter JOHANNIS Hus incen-

Incendiũ Hussi.

incendium pronunciasti damnatæ memoriæ, lætitiam mihi inditurus, ut illius, quem ignis cremavit, non noceat in futurum error, aut hæresis, quam impio ore prædicabat.

Assecla Hussi.

Nam tanti factum est, ut *Reges, Duces, Comites, nobiles* & *ignobiles illius* venerentur & *acceptent* damnatos *errores*, personamque præfati hæresiarchæ martyrii plenam & percolant & honorent.

Hussus combustus pro martyre habitus ab asseclis.

Asseritur veridicorum sermonibus, qui id non solum audierunt, sed & vidisse se ajunt, JOHANNEM Hus, quem sacra Constantiensis Synodus purum damnavit hæreticum, *pro martyre depictum* in solenni civitate Pragensi. Et tanquam *pro fide certaverit, justum & sanctum* illum virum consecrarunt, opinantes, eundem inter sacrorum numerum Deorum feliciter ac gloriose collocatum.

Hussitæ Concilio Const adversi.

Si igitur tam pauca populi congeries se præfato sæpe *opponit Concilio*, illius monita spernens, acta contemnens, & doctrinam aspernans salutarem: Quid facient alia regna, ducatus, comitatusque, dum hæc viderint & audierint? Nonne & sensus eorum pervertentur, qui in quocunque hominum proni sunt ad malum. Resiliunt equidem præfati à sancta Romana Ecclesia, quæ repræsentative in sacro consistit Constantiensi Concilio. Resistunt plenitudini Romani Imperii, quæ ex electione Romani regni residet in Serenissimo Principe *Sigismundo*, advocato universali sanctissimæ sponsæ tuæ, qui nos defendere debuerunt.

Sed ex his amarissima mente colligo, non satisfacere verba, quæ promisti, solatii magni methodum ostensura, cum & tot *impedimenta* posita sint, & tot *scandala* hinc inde oriantur. Si enim non valebit mundi sapientia, *unius regni* pellere errores, malitiam tollere, schismata evellere, quomodo *totius universi* horridas sectas, hæreses & errores, & schismata inveterata consumet & abrogabit?

Hussitarum affectus in Hussi exusti doctrinam.

Quinimo & isti de erroribus, quos penes nos *errores* sic reputamus, & vere hæreses sunt & errores, *doctrinas ipsi prædicant salutares.* De his etiam, quæ sacrum damnavit concilium, risum illi faciunt & cachinnum. Et de publice promulgatis per idem Concilium hæreticis, *martyres* efficiunt & *theodoxos.* Enim vero non verentur in stratis canere de præfato *Johanne Hus* hæretico: *Hic est martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit.* Unde & secundum illos ipse dicere poterit in laudem Jesu: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.*

Ecce mi sponse dulcissime, an gratis mœrore defluo, quæ tanta contra me intueor ingeri, & me tam amaris cerno jaculis sagittari?

DISTINCTIO IV.

De Hieronymo Pragensi, suam revocationem in Concilio factam in Concilio iterum retractante.

MOvet etiam me novella malitia novelli hæretici, HIERONYMI videlicet DE PRAGA. Qui tam eleganter, ut ipse proponebas, errores suos *revocabat*, se sacro subjiciens concilio, & determinationi sanctæ Romanæ Ecclesiæ: Qui etiam in condemnationem præfatorum hæreticorum, *Johannis Wiklef & Johannis Hus* consensit, ut ex superius notatis claret evidenter.

Hieronymus Pragensis ab Hussi doctrina recesserat.

Ad doctrinam Hussi rediit.

Hic tamen, salutis suæ immemor effectus, *recidivavit*, totum sacrum Concilium scandalizans, & primo tuum contemnens honorem, deinde tuorum aspernatus doctrinam. Ut forsan prædictorum errorum fautores, si qui ab eis declinare voluissent, iterum induceret, ne ab ipsis resilirent, suis pertinacia & præsumtione tanquam muro resistentibus, quibus totum Christianitatis statum evertere machinatur.

Sectatores Hussi permulti.

Quibusdam latrantibus, in illo hæresiarcha tantam infusam esse *sapientiam*, ut neque totius religionis Christianæ scientia illum convincere possit ul-

la ratione. Qua ex re multi, ut vulgus assolet, multa loquuntur: Ut etiam etsi non patentes, habere tamen videatur latentes plerosque consautores.

Hussitica Confessio Hieronymi Pragensis A. 1416.

Referam igitur, quæ retulit in *ultima sua* coram sacro Concilio *præsentatione*, quæ erat sabbato post ascensionis tuæ, anno à nativitate tua M CCCCXVI, in medio omnium constitutus, voce patula, facie pallidula, prolixa barba atque nigra.

A deputatis interrogatus, & admonitus de scriptura propria manus suæ, qua revocavit illorum, quos præfatus sum, hæreticorum sententias & errores, Respondit luculenter: *Manus suæ se non negare scripta, neque revocationem per se non factam: Sed se nunquam graviori crimine atque peccato circumvolutum* ajebat, *quàm, cum illam revocationem pronunciasset. Nunquam etiam se de aliquo peccato tantum doluisse, quantum se dolere* asserebat, *quod sententias præfatorum, & sanctorum virorum, Johannis Wiklef & Johannis Hus revocasset, & in mortem illorum bonorum virorum consensisset. De quibus omnibus usque ad mortem ex intimis suis se dixit velle pœnitere.*

Audiverunt hoc omnes, & quem omnes salvari voluerunt, ipse in sua pertinacia permanebat, damnans semetipsum.

Exclusit tamen *articulum unum*, quem *Johannes Wiklef* posuit, nolens ipsi in illo dare fidem, sed plus censuit esse credendum sancto *Augustino*, quàm *Wiklef*. Unde dixit: *Ego credo, quod in altari sit verum Christi corpus, quod natum est ex Maria Virgine, quod crucifixum est, & quod judicaturum est vivos & mortuos. In aliis autem consentio dictis Johannis Wiklef, & Johannis Hus, qui fuerunt homines sancti & justi, & bonæ vitæ.*

Hieronymi Pragensis sententia de Sacramento cœnæ.

Si igitur tanta sunctus temeritate solus, *homo unicus* tantam spernit congregationem, quid facient alii, quorum potentia magna, turba multa, & timor horribilis in universo prædicatur? Et revera, plerosque novi, quibus risum, imò contemtum *Constantiense Concilium* præbet. Unde non merito amaritudine repleta solatiis omnibus sum destituta.

Distinctio V.

De expectati in Concilio FERDINANDI, *REGIS* ARRAGONUM, *obitu, & de Legatis ejus moras nectentibus.*

POst paucas tribulationes & lacrymas consolabiles, prodeunt angustiæ irremediabiles, dolores indicibiles, & luctus intolerabiles.

Nam recordor, te in præfatis apertissime dixisse, *quintam nationem per Arragonenses formandam.* Qui & infallibiliter adventuri nunciabantur. De quorum accessu multum sollicitata sperabam satis, unionem affuturam, cum & illi de obedientia *Petri de Luna* perstiterint. Qui, si sacro se junxissent Concilio, unitas fortasse fuisset subsecuta.

Ferdinandus Arragoniæ Rex defunctus A. 1416.

Sed, ut dicitur proverbialiter: *Rumores sæpissime falsi:* Claret etiam luce clarius, FERDINANDUM *Regem Arragonum* Constantiam non venturum. Cum indeclitus ille *Rex* diem clauserit extremum, *die VII mensis Aprilis* anni à nativitate tua superius prælibati. *Cui sacrosancta Constantiensis synodus solennes*, ut meruit, *exequias celebravit.*

Encomiũ Ferdinandi Regis Arragoniæ.

Qui revera Serenissimus Princeps toto conamine, & viribus totis ad sanctæ Ecclesiæ unionem anhelavit. Ecce mortuus est, in quo tota spes mea resedit. Dedit terræ corpus, ut ibi putresceret, unde formatum est. Tradidit Deo Patri spiritum, ut ad illud gloriosum perveniret habitaculum, ubi sanctorum justorumque animæ recondi consueverunt. O quam hujus desiderati viri mors pretiosa, sed non affectata. O quam felix interitus, cujus in terris bona vita præcessit. O quàm beata anima, felixque transitus tam sancti viri, qui ad unionem semper totis viribus & spiritu intendebat.

Hic namque vir egregius quantos ad meæ pacis unitatem labores habuerit, literæ ipsi scriptæ, & per ipsum aliis missæ sincerissime manifestant. Cum igitur tanto me privaveris filio, tam intimo zelatore me spoliaveris, unicoque animæ meæ solatio destitueris, quid est, quod de cætero attentabo?

Ad

Ad quem refugiam? In quem confidam?

Per hunc namque *Petri de Luna* potentia infirmata fuisset. Status casum habuisset, & gradus illius dignitatem amisisset. Nunc igitur cecidit corona mea, gaudium meum commutatum est, & spes mea arefacta est. Recipiet & ille inveteratus dierum malorum audaciam novam. Cornua novella accrescent illi, & erit hircus ipse contra agnum pugnaturus, & stabit in majestate sua, in se ipso de tam gloriosi Regis morte gloriaturus. Dicet namque: Exaltabo super cœlum sedem meam, volens altissimo similari, sed ero super omnes altissimus, nescio Deum cœli super me. Sacro resistam Concilio, argumentis & rationibus phaleratus: Non est, qui potestati meæ resistere valeat: Quidlibet faciam, nullius contrariante majestate.

Publicus illo tempore metus de arrogantia Petri de Luna.

Ecce, mi sponse dulcissime, quamobrem mœrore consumor, tristitiis pereo, & tribulationibus inquietor. Sola *mors illius Serenissimi Principis* ad istas amaritudines me perducit. Non venient igitur, qui venire desiderabantur, non exibunt terram suam, & cognationem suam aut domum patris sui, qui exituri sperabantur. Ut longæ factæ sint viæ sanctæ unionis, quæ tam propinquæ ante prædicti Regis mortem spectabantur.

Obitus Ferdinandi Arragoniæ Regis remora Concilii Const.

Distinctio VI.

De Petri de Luna s. Benedicti XIII. Concilium eludendi artibus.

Dolus Petri de Luna s. Benedicti XIII.

Non minus me movet, imo permaxime anxiat spiritum meum, & angustiat animam meam *Petri de Luna* perversa & impia *dolositas.* Qui, ut nosti, quantam operam dederit ad unionem & pacem Ecclesiæ dandam tempore Gregorii, prout literæ ejus manifestant, tantam nunc monstrat repulsam, ne sanctæ pax unionis ad finem debitum perducatur.

Comparatur Petro de Luna cum Pharaone.

Hic est verissime *induratus* ille *Pharao*, qui necessitatis in tempore populum Domini promiserat victurum in pace, sed suæ redditus voluntati, prioris immemor voti, eandem Domini plebem crudeliter affligebat. Certe vir iste quantis, *dolo, fraude, astutia*, prudentia, cautelave me sponsam tuam vexaverit; res ipsa producit in medium, quam suo proprio scripto ante decennium dolosissime publicavit. Scripsit namque sancto & justo viro, Domino *Gregorio*, pro tunc universali Pontifici, in hæc verba, quæ etiam superius clarius annotavi: *O te felicem, si ad hoc te Dominus reservavit, si facultatem ad ea, quæ tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter prosequens nobis in affectu prosequenda unionis te reddendo conformem, prout spopondisti, de contingentibus nil omittas. Ad hoc enim piis te exhortationibus invitamus; Ad hoc nos promtos reperies, hoc videre summopere cupimus, ad hoc nostra semper prospiravit, & prospirat intentio, noster intendit & attendit affectus, ut Deo dirigente, qui novit, & præstante, qui potest, per nostræ humanitatis ministerium unio in Dei Ecclesia desiderata sequatur.* Et multa hujusmodi, quæ supra posui *libro quinto, distinctione quinta.* Ubi se semper ad exstirpationem schismatis perficiendam, & optatam sibi unionem assequendam promtissimum scribit & paratum, annotans, se velle suo verissimo juri & papatui pure, libere, & simpliciter cedere & renunciare, & cætera perficere, prout in literis suis publicat manifeste.

Ecce locutus est falsitatem ore suo, & dolum in corde cogitavit, & mentita est iniquitas illius. Non custodivit linguam suam, ut non delinqueret ea; sed tanquam latens insidiator, quæ lingua & scripto firmaverat, & mundo publicaverat, nunc re ac facto falsissima monstrat, & dolo plena. enim inter omnes *solus* est, *qui resignare aut cedere contemnit*, cum alii jamdudum resignaverint, & cesserint pleno cum effectu.

Ipse Petrus de Luna cedere Papatu noluit.

Meritò igitur nomen ipsi *Petrus de Luna* congruit. Ut in nomine ejus fiat expressio rei, quam facit, secundum illud Psalmistæ: *Secundum nomen tuum sic & laus tua in fines terræ.* Revera nomen sibi grande usurpavit, contumeliæ videlicet, dedecoris, quod jam mundum redo-

redolet per universum. Videamus ergo nominis sui proprietatem. *Petrus*, ut norunt omnes, *agnoscens* dicitur. Cognoscit igitur: sed de quo sit illius cognitio, agnomen illius insinuat, cum additur *de Luna*. *Luna* instabilis est, mutabilis est, crescit, decrescit, in eodem sistere nescit. Hujus domus cancer est, qui est piscis retrogradus. Sic *ipse in ultima sua constitutus senectute*, & in fine, quo factam debuit fovere unionem, retrogradus est inventus.

Incon-stantia Petri de Luna.

Sed mirum est, quomodo ipsi pontificale nomen sanctum *Benedictus* sit impositum, cui tota res ipsa contrariatur. Unde advertenter considerandum est, quod rem ipsam nomina designent. Nam nomina ex rebus, non res ex nominibus tracta est. *Benedictus* namque vocatus est *Petrus de Luna*, non, quod in re ipsa sit benedictus, sed *nomine solo*. Sicuti namque literis & lingua unionem sanctam desiderabat, sic sola *Benedictus* est *apparentiâ*, sed non rei existentia.

Enimvero, cum tot, tantasve per orbem emiserit literas pro sanctæ unionis intimo zelo, Benedictus est acclamatus. Quasi diceret omnis lingua: Benedictus, qui venit in nomine Domini, qui talem virum racio divini splendoris luminosum orbi contulit universo, qui & inveteratum & exitiale schisma tollet è medio. Hæc vox mundum ferebatur per universum. Et solo *nomine Benedictus* vocatus est, sed *re ipsa* verissime *maledictus*. Constat igitur, nullum ex nomine solo salvandum, sed meritum bonum per gratiam Christi salvat omnem hominem, quanquam etiam perverso nomine nominatur.

Benedictus XII. maledictus.

Maledictus ergo ille *Benedictus*, cui non poterit dici: *Ingredere benedicte Domini, cur foris stas?* Sed rumore crudelissimo illi acclamabitur: *Egredere maledicte Diaboli, cur intus stas?* Dignum enim est, & justum, ut, qui toti Christianæ religioni maledicit, exeat foris condemnatus, & episcopatum illius accipiat alter, illo sede sua cathedrali rejecto.

Sed, o mi sponse dulcissime, multum horreo hujus maledicti ac nequissimi viri *dolum* atque nequitiam. Quem sacrum *Constantiense Concilium* favoribus comprehendere non valet, neque viribus obtinere. Qui se summum gloriatur Pontificem, & adhærentibus ejus miram infundit audaciam, Regibus videlicet & Principibus, ne ipsum deserant, quem verum esse Papam cognoverint. Confidit opibus & divitiis, atque suæ mansionis securitate. Cujus, ut fertur, mansio nulla poterit indignatione compelli, nulliusve potentia poterit subjugari. Quæ omnia ipsum contra te sponsum meum tyrannisare compellunt, juxta illud Poëtæ:

Pertinacia Petri de Luna.

Deniq, non parvas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Etsi per sæpe fatum *Constantiense Concilium* obedientiam illi, ut merito mereretur, subtracta fuerit, quid proderit ista subtractio, si Reges & Principes ei adhærebunt? Quoniam per ipsius mortem non sequetur unio, cum & illius *AntiCardinales* alium ipsius loco eligant, de quo nullo modo erit hæsitandum. Et per maxime propter *mortem Ferdinandi, Serenissimi Regis Arragonum*. De quo in præcedenti distinctione causam movi.

Quapropter unionis pacem & Christianæ religionis concordiam non video adventuram, cum tot occurrant mala, tot eventus obveniant, totque impedimenta.

DISTINCTIO VII.

De SIGISMUNDO IMPERATORE è Concilio in Galliam & Angliam digresso, pacis conciliandæ gratiâ.

LAcrymis lacrymas, fletibus fletus addere cogor. Ut veraciter cum *Alano* dicere possim:

In lacrymas risus, in luctus gaudia verto.
In planctum plausus, in lacrymosa jocos.

Unde super omnia cogit me ad plangendum dolor inæstimabilis, & invincibilis mœror. Angustiæ enim mihi sunt undique, & quid eligam, ignoro.

Mor-

Mortem super omnia gustare mallem, quam in tantis semper tristitiis & calamitatibus anxiari. Omne solum, patriaque quælibet, gravissima mihi sunt onera. Cœlum, stellæ, erratici quoque circuli, voluntati meæ contrariantur. Et quocunque me divertero, sentio, omnem mihi orbem partibus in singulis contraversari. Et unde solatia expectabam, gemitus inseruntur & suspiria perhorrenda.

O me infelicem, miseramque sponsam! Cur, spreta synagoga, me in tot casuram discrimina sponsam elegisti? Nonne Ahasverus Vasti repudiata, Ester præelegit, quam in sponsam sibi dulcissimam absque amaritudine consecravit. Et cur me tot jaculis transfigi permittis? Cur vulnera tanta incuti sinis? cur me non eripis, quam tuo sanguine mercatus es pretioso?

Sigismundi Imp. elogia.

Unicum mihi, prout in præcedentibus claret, *strenuum ac fidelissimum* contulisti *provisorem, & advocatum*, REGEM SIGISMUNDUM, mundi per climata virum famosum. Qui multa per elapsa tempora ad meæ unionis aspiravit concordiam, quam non modo verbis, sed & re ipsa, quantum in eo fuerat, approbavit, & confirmavit.

Caroli IV. Imp. filii.

Novit cœlum, & orbis testatur universus, CAROLUM IMPERATOREM, *Regem Bohemiæ*, Principem serenissimum, ac fidelissimum meum defensorem, duos generasse filios, *Wenceslaum* videlicet & *Sigismundum*.

Wenceslaus Imp. reprehensus, quod disfidiis Pontificũ non occurreret.

Quorum primus, senior, videlicet WENCESLAUS, post mortem piissimi patris sui in *Regem Romanorum* est electus. Qui in ea causa, propter quam erat electus in Romanorum Regem, segnis fuit, & nimis tepidus. Quia in mei defensione simpliciter frigescebat, quam intuebatur devastatam, schismatibus maculatam, & fere totam desolatam: Nullis namq; anhelabat nisibus, ut pro mea pace aliquid ageret, sed tanquam fornicariam me dereliquit, omni prorsus solatio destitutam.

Sigismundus fratrem Wenceslaum captivum tenuit.

Quod cernens piissimus *Hungariæ Rex* SIGISMUNDUS, nunc advocatus tuus, dolore cordis tactus intrinsecus, meiq; misertus, præfatum WENCESLAUM duxit Viennæ captivum, ut eundem opus sibi injunctum compelleret fideliter exequi.

Sigismundus Imperator electus.

Sed neque sic profuit fœcunda libertas *animosi Principis* SIGISMUNDI. Quapropter *Imperii sacri* ELECTORES istius fervidum inspicientes zelum, & alterius tepidum propositum, conciliati sunt super unius electione & alterius depositione, secundum illud Johannis: *Quod nec frigidus es, nec calidus, sed tepidus, incipiam evomere.*

Sigismundus Concilio Const. convocavit.

SIGISMUNDUS igitur, fidelissimus filius meus, in Regem Romanorum est electus, qui quanta pro meæ pacis unitate effecerit, mundum claret per universum. Nam *congregavit in Constantia generale Concilium*, ubi omnes mundi sapientes advenerunt. *Ibat Niceam* ad conveniendum cum Rege Arragonum, & Petro de Luna, solenni ambasia. *Egitq;, ut Johannes & Gregorius resignarent.* Cæteraq; multa perfecit, ut in superioribus apparet, & in sequentibus declarabo.

Elogia Sigismundi.

Neque fuit Rex, aut unquam Persona sive publica, sive privata, quæ tanta effecerit prudentia & sapientia, quanta vir iste, verus Christicola, ob tui sanguinis pretium jam perfecit, nullo superatus labore nec æmulorum perterritus aut odio aut timore.

Itinera Sigismundi.

Transiit igitur *Arragoniam.* Peragravit *Franciam* & *Germaniam.* Et nunc est *in Anglia.* Et ô utinam sanus, non infirmus, vivus, non mortuus, liber, non captus!

Ecce, mi dulcissime sponse, pro tanti *Regis*, filii mei, anxior salute, anxior sanitate, timens eum aliqua pressum molestia, aut periculis circumductum. Turbatus est ea de causa spiritus meus, contristata est anima mea, & gemitu plenissimo suspirat intra me cor meum propter rumores multorum, quos audivi.

Rumores in Conc. Const. de Sigismundi absentia nece.

Quidam namque latenter inter se ruminant, ipsum esse *captum*, neque libertati reddendum. Alii *mortuum* ferunt. Cæteri maximis *subjectum periculis* eloqvuntur. Inter hæc *veneno* nonnulli sibilant eundem *decumbere*, & pristinæ non posse restitui sanitati.

Vide nunc, mi sponse, qui cœlo mariq;

rique, terræ, pelago & inferno principaris, ubi talem reperiam filiam, filium inquam fidelem, filium prudentem, filium omni suffusum sapientia, qui me desolatam mirabiliter & supra æstimationem humanam consolabatur. Dicam ergo cum David Rege: *Fili mi, fili mi, quis mihi det, ut pro te moriar, fili mi.* Mors enim tua mors mea est, pericula tua præcipitatio mea, infirmitas tua ejectio mea, captivitas tua exilium meum. Dicam & cum Tobia: *Ut quid te miserim, fili mi, lumen oculorum meorum, & baculus infirmitatis meæ; sine te cœcutio, absque te collidor & prosternor.* Dicam & cum egregio Jacob Patriarcha: *Fera pessima devoravit dilectum filium meum, & ideo lugens descendam usque ad infernum.*

Precor cœlestem Regem, precor patrem ingenitum, precor te unigenitum Dei filium, sponsum meum, ut me oculis meis illum facias cernere, antequam moriar, dilectum filium meum, quem elegi ex millibus fidelissimum & electum. Et hic utique, mi sponse dilectissime, etiam filius tuus est, quem elegisti & assumsisti, unde de ipso *carmen* sequens canto.

Lugubre carmen Ecclesiæ in absentem à Concilio REGEM SIGISMUNDUM, *Pacis conciliandæ gratia in Galliam & Angliam digressum.*

Filius hic *Rex* est meus, hic tuus utique natus,
Præ pueris merito gratior ipse tuus.
Offuscans reliquos splendet fulgore sereno,
Omnibus in pueris lucifer iste præit.
Et velut in radiis fulgor solaris, & apta
Emicat aurora, sic niter iste puer.
Huic *natura proba*, huic *gratia summa* decoris
Prodiga contulerat, quicquid habebat opum.
Labes nulla fuit vitii, quam *sanguinis* iste
Nobilitate fruens possit adire puer.
Omnia *virtutum* resplendent *munera* grata
In puero dicto, Rege potente nimis.
Gratia, quæ poterat infundi lumine divo,
Huic datur, & merito, nam meruit meritus.
Tempore, quo primus est accola conditus Adam,
Nullus in hoc unquam tam probus orbe fuit.
Præmia virtutum virtutibus undique sertum
Sectentur, veluti gloria, laus & honor.
Conserva studio summo, conamine toto
Hunc roseum puerum, quique meusque tuus.
Heu! Privata viro tam firmo, tamque sereno,
Nescio quicquid agam, quæ sine spe maneo.
Electus fuit ex mille, cunctis virtutibus ille
Ornatus varie. Proh periit misere!
Soli sola mihi fuerat spes corpore tristi
Hic vir, & iste meus filius atque tuus.
Heu! Periit, timeo, discedens corde sereno,
Hinc quia non rediit, fertur: Et hic periit.

SAtius esset, mille mori Principes, quam talem unicum succumbere morti, *in quo tota spes nostra consistit.* Et revera, si gloriosus ille Princeps debitum humani persolveret generis, nulli dubium, quin prioribus malis posteriora fierent ampliora. Hæc igitur causa est mei inexplebilis doloris, timor videlicet de infortunato filii mei successu, pro quo mihi cura non modica, gemitus & suspiria innumera, cum ipse me manu teneat, *& ad statum pristinæ religionis reformare* suspiret & anhelet.

Reformaturus Ecclesiam erat Sigismundus.

DISTINCTIO VIII.

De discordia, inter Cardinales & alios nationum prælatos in Concilio Constantiensi suborta.

DOlens doleo, & dolore multo stimulor, doloribus dolores augens, cum pridie à veridicis audierim *mala novella*, auribus auscultantium satis horrida. Unde horresco nimis propter famam, quæ crudeli famatur infamia, nec poterit sileri tam publica fama, unde generantur scandala multa in plebe & clericis. Scandalosum quidem nomen, & sine nomine nominandum volat per aëra. *Invidia* devoravit charitatem, pacemq; fœdavit *discordia.* Libet, ut in congregatione sit charitas, pax & amor: Sed non licet, ut sint jurgia, æmulationes, rixæ & cætera hujusmodi, quæ charitatem offendunt. Patres convocavit charitas, fratres amor, & reliquos pax sincera. Omnes enim, quos tantum opus arduum conjunxit, quinimo divinum, dilectionis nodo colligari debent.

Invidia & discordia in Concilio Const.

Sed scriptura teste, *cum die quadam venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos Sathan.* Sathan *adversans* interpretatur. Hic namque fratres & Dei filios pacificos adversarios facit & inimicos, odia seminans & discordias movens.

Hic verissime *in congregatione Constantiensi* cognoscitur guerras & rixas concitare, ne inter se concordare valeant, ad quos *sanctæ reformationis onus & opus* spectare videtur. Sunt enim alterius contra alterum clamores, jurgia, contumeliæ, & hujusmodi, quæ sine diabolico instinctu esse nequaquam possent. Per quæ tantum *reformationis negotium in capite & in membris* summopere retardatur.

Reformationis opus in Concilio dissidiis impeditum.

Reformatio in capite & in membris quæsita.

Hæc igitur sunt, sponse mi dulcissime, quæ animum pulsant meum, tibi per me proposita, & sic sat ventilata. Ad quæ, si poteris, aut volueris respondere, audiam patienter.

LIBER OCTAVUS.

De difficillimis ac intricatissimis negotiis in Concilio Constantiensi tandem compositis ac confectis.

METRUM.

De Spe meliorum Ecclesiæ fatorum ex Concilio Const.

OMnia corde tuo quæ fixa fuere, tulisti,
Et cum mœrore fers singula, vulnere tristi.
Quæ sermo præsens tollet, per cordis amorem,
Ut lætam te sic faciam, tollendo dolorem.
Tela tibi missa tollam sermone pudico.
Ut mihi complaudas, velut omnis amicus, amico.
Et velut auroram te sponsam surgere cernes,
Et terrenarum tu rerum præmia spernes.
Assumes scutum, quod te defendat ab ense,

Tuq;

Tuque statu firmo gustabis dulcia mensæ.
Potabis mustum, cum melle meo renovatum.
Pinguia tu comedes, & dulce cadens tibi gratum.
Tu mihi dilecta, pariterque columba pudica,
Tota suavis eris, & dulcis, semper amica.
Te sponsam sponsus per secula semper amabo,
Moribus & vita sinceris te renovabo.

PROSA LIBRI VIII.

De arduis rebus in Concilio transactis, ipsoque Concilii Constantiensis ingruente fine.

DISTINCTIO I.

De JOHANNIS XXIII. Pontificis, in Concilio Constantiensi à sede Papali deturbati ac dejecti, miseris fatis.

GRatanter, imo lætanter & patienter sustinui, ut ediceres omnia & singula, quæ cor tuum vulnerabant, & præ quibus anxiabaris in spiritu tuo. Nam perspiciebam in vultu tuo mirandas sat mutationes, è quibus spiritus tui eliciebam amaritudinem, & tibi condolui, eo quod nimis in viribus corporis totius exæstuabas, tota tristitiis plena. Nolui tamen interrumpere sermones oris tui, ne in tali luctamine magis deficeres, quam proficere videreris. Expectavi igitur finem sermonis, donec ipsa diceres finem affuisse, & me ad loquendum tuis labiis provocares. Sigillatim ergo tuis satisfaciam sermonibus, quos revera summa providentia atque prudentia proponebas. Nec volo, ut intelligas, me contra te sentire, quod aliquid stulte aut insipienter locuta fueris, sed omnia providenter atque sapienter in medium deduxisti.

Turpis fuga Johannis XXIII. è Concilio. Primum ergo, quod te movet, est *recessus* JOHANNIS *de Constantia*, scandalosus, & infamatorius, schismatis confortativus, & unionis sanctæ impeditivus. Revera sic erat, ut sapienter proposuisti.

Citatus. Sed nosse te volo, eundem *Johannem* per sacrum concilium *citatum* per edictum. *Reversus.* Qui non longe post *reversus est Constantiam.* Ubi secundum nominis sui proprietatem actum est. Nam *Balthasar judicium Dei* interpretatur, vel *judicavit me Deus.* *Judicatus.* Ut vere dicere potuerit: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et iterum: *Omnia quæ fecisti, in vero judicio fecisti.*

Videns igitur, se non posse ultra fugere, sed omnino coacte reversurum, propter potentiam *Serenissimi Principis*, filii tui meique, SIGISMUNDI, arctatus nimis, ut Saul, cum ab illo recessisset Spiritus Domini, dixit ad Pithonissam: *Suscita mihi Samuelem:* Sic & ipse miserandus homo gratiam petiit, scribens Regi Romanorum in hunc modum inter cætera: *Ad te, tanquam unicum post Deum spei nostræ refugium, dirigimus desideria cordis nostri, ad te devotissimas preces pro dilectione dilectionem inquirentes effundimus, obsecrantes per viscera misericordiæ Jesu Christi: Memor esto verbi tui, in quo nobis spem dedisti. Hac nos consolare in humilitate nostra. Et si sive cum causa, sive sine causa, cum iratus fueris, misericordiæ recorderis, nomenque egregium clementiæ, in hoc casu ne pati patiaris instantiam. Sed qui aliis offensoribus atrocissimis parcendo te liberalem habere consueveras, parcere quoque nobis & misereri ne spernas. Ne, quæsumus, pietatis tuæ præclaro titulo notam crudelitatis inferri permittas. Potes itaq;, si velis, & ut velis deposcimus, erga sacrum concilium, quod tua sapientia, tuaque potentia tanquam firmissimum fundamentum suffultum, tuis intercessionibus operari, ut tui contemplatione honoris personam nostram habeant recommendatam, & unione Ecclesiæ semper salva, honorem, famam ac statum nostros, post dimissionem papatus quam pridie obtulimus, atque dudum aliquo-*

Supplices literæ Johannis XXIII. ad Sigismundum Imperatorem.

quoties in manibus tuis posuimus, quantum possibile fuerit, salvare & custodire dignentur. Et alia salutem nostram respicientia prosequaris magnifico cum effectu.

Sed revera hæc *petitio parum profuit*, fortasse tantum, quantum *oratio Saul*, qui & pro se Dominum precabatur, & alii pro eo, sed inexauditus permansit.

Ista enim supplicatione non obstante, *sacrosancta generalis Constantiensis Synodus*, in Spiritu Sancto legitime congregata, *sententiam definitivam protulit*, pronunciavit, decrevit, & declaravit, *recessum* per præfatum Dominum *Johannem Papam XXIII à civitate Constantiensi*, & dicto sacro *generali Concilio*, clandestine, de nocte, hora suspecta, in habitu dissimulato & indecenti factum, fuisse & esse *illicitum*, Ecclesiæ Dei, & dicto Concilio notorie *scandalosum*, pacis & unionis ipsius Ecclesiæ turbativum & impeditivum, schismatis inveterati nutritivum, à voto, promissione & juramento, per ipsum Dominum *Johannem Papam* Deo & Ecclesiæ, ac huic sacro Concilio præstitis, deviativum: Ipsumque Dominum *Johannem Papam Simoniacum* notorium, bonorumque & jurium nedum Romanæ sed aliarum Ecclesiarum, & plurium aliorum locorum piorum *dilapidatorem* notorium, malumq; spiritualium & temporalium Ecclesiæ administratorem & dispensatorem, fuisse & esse: Suis detestabilibus *inhonestisq; vita & moribus*, Ecclesiam Dei, & populum Christianum notorie scandalizasse, & scandalizare: Postq; monitiones debitas, & charitativas, iteratis & crebris vicibus eidem factas, in præmissis malis *perseverasse*, seque ex hoc notorie *incorrigibilem* reddidisse: Ipsumque propter præmissa & alia crimina in processu dictæ causæ contra eum deducta & contenta indignum, inutilem & damnosum à papatu & omni ejus administratione spirituali & temporali amovendum, privandum & deponendum esse.

Fuga Johannis XXIII. è Concilio, publice damnata.

Johannes Papa Simoniacq.

Dilapidator sacrorum.

Scelerat', Scandalosus, Pertinax, Incorrigibilis.

In Concilio damnatus

Sic *eum sancta Synodus* amovit, privavit & *deposuit*. Hinc etiam eadem sancta synodus inhibuit universis Christi fidelibus, ne eundem à papatu sic depositum de cætero Papam nominent, aut illi tanquam Papæ adhæreant seu obediant quovis modo.

A sede Papali depositus.

Unde & idem *Johannes* in majorem & evidentiorem vindictam, *positus est in custodia* loco carceris, in qua ad standum & morandum damnatus est usque ad tempus, quo sacro Concilio videbitur illum pro aliis suis criminibus puniendum, secundum quod rigor justitiæ, vel misericordiæ ratio persvadebit.

Incarceratus.

Ex his, sponsa dilectissima, patenter tibi ad primam tuam rationem me æstimo respondisse, & omnia, quæ mentem tuam vel timore aut tremore pupugerunt, efficaciter abstulisse.

DISTINCTIO II.

De FRIDERICI, AUSTRIÆ DUCIS, profugi ac depositi Papæ Johannis XXIII. protectoris infelicis, tristibus fatis.

Secundo proposuisti loco timorem, potentiam, & manum armatam *Ducis Austriæ*, qui revera & indubitanter *Princeps magnus* asseritur. Cujus tantum formidabas violentiam, ut ipse per ducatum suum, nolente etiam inclito & devotissimo Romanorum Rege, *Johannem* educeret.

Friderico Austriæ Dux Johannem Papam è Concilio liberavit.

Ex præcedentibus luculente claret, hæc non ita se habuisse. Quod, cum fortis armatus custodit domum suam, in pace sunt omnia, quæ possidet: Cum autem supervenerit fortior, spoliabit illum, & tollet, quæ voluerit. Fortis itaque armatus *Dux* erat, qui *Johannem* ducebat: Sed cum *Rex Romanorum* cum suis obvenerat, spoliabat spoliantes, & captivavit personas, & cepit munitiones fortissimas, *Ducem cum Johanne* exterminando.

Unde tanta mota sunt *bella*, tam dura facta sunt verbera, ut *Dux* perdiderit XL. civitates, castra & oppida, vel citra. Erat namq; septem exercitibus circumdatus ducatus Austriæ, & prævaluit *David* funda & lapide contra Goliath.

Friderico bello petitus.

Sentiens vero ac intelligens *Dux* præfatus, se simpliciter eradicandum,

Accepit Friderico A. Dux salvum conductũ. Constantiam rediit.

per *Serenissimum Principem Ludovicum, Ducem Bavariæ, Comitem Palatinum*, Regisque Franciæ Ambasiatorem, salvum sibi obtinuit dari conductum. Quo adepto, personaliter *adiit Constantiam*, & assumtis inclitis & serenissimis Principibus, *Duce Bavariæ, Burgravio Nuremburgensi, & Comite magno de Hungaria*, reliquisque Principibus, flexis genibus coram devotissimo Domino *Romanorum Rege*, & deputatis nationum prostratus, instantissime gratiam & misericordiam imploravit. Submisit igitur personam suam, Civitates etiam & oppida cum castris omniaque bona sua, tam mobilia quàm immobilia, Regiæ majestati.

Supplex factus Sigismundo Imper.

Tenor igitur literæ, in qua se suaq; devotissimo *Regi Romanorum* subjecit, sequitur in hæc verba:

Diploma Friderici Austriæ Ducis Sigismundo devoti.

Nos FRIDERICUS Dux Austriæ &c. Quod cum serenissimi Principis SIGISMUNDI REGIS &c. indignationem inciderimus, venimus in propria persona ad conspectum dicti Domini Regis Constantiam, & nos, personam nostram, territoria, homines, civitates, fortalitia, & quicquid habemus & tenemus, nihil excepto, ad suam regalem gratiam dedimus & posuimus, damus & ponimus, vigore præsentium. Taliter, ut ipse nobiscum, & cum eisdem facere & dimittere possit pro sua regalis libito voluntatis. Quicquid etiam qualibet persona, vel personæ Ecclesiasticæ vel seculares, nobiles vel ignobiles, in quacunque dignitate vel statu constitutæ, nemine excepto, contra nos habent actionis pro quacunque causa, nulla excepta, hoc totaliter posuimus & dedimus in arbitrio dicti Domini Regis, sic & taliter, ut quicquid ipse Dominus noster in hujusmodi jusserit, ordinaverit, ac dictaverit pro sua voluntate per nos erga quemlibet faciendum, ut istud facere, adimplere & finire debemus. Et inferius: *Nos etiam volumus & debemus in obstagio Constantiæ manere, quousque omnes & singuli officiales, cives & incolæ munitionum, civitatum & territoriorum in Suevia, Alsatia Rheni, Brisgovia, comitatu Tirolis, circa Athesim & Valle dicta Intal, præfato Domino nostro Regi & imperio sacro fidelitatem promiserint, & juraverint ad sancta Dei Evangelia ipsum respicere & sibi obedire, donec omnia & singula promissa per nos totaliter & effectualiter facta fuerint & adimpleta. In quo etiam præfati Domini Regis simplicibus literis, verbis aut intimationibus absque alia probatione debent contentari. Aut quousque idem Dominus noster Rex eosdem fidelitatum, promissionum & juramentorum hujusmodi per se vel suas literas nunciaverit absolutos. Et in casu, quo præmissa in toto vel in parte non faceremus, & adimpleremus, seu quomodolibet contraveniremus, quod Deus avertat, ex tunc præfatæ civitates, munitiones, territoria, & homines nostri præfato Domino Regi nostro, & sacro imperio totaliter devolventur, & deinceps eidem tanquam justo, ordinario, & naturali Domino suo subjicientur & obedient, nostra & cujuslibet alterius conditione non obstante, omnibus fraude, dolo, cessantibus totaliter in præmissis. Hæc omnia jurat, & in majorem certitudinem rogat Dominum LUDOVICUM DUCEM BAVARIÆ, & BURGRAVIUM de NURENBERGA &c. ut prædicta sigillarent.*

E concilio iterum abiit Fridericus. Concilium oppugnavit.

Sed his sic factis, *Dux* præfatus *recessit de Constantia*, & contra sacrum concilium literam scripsit patulam Valvæ sancti Stephani impressam, in qua eidem falsitatis ac injustitiæ notam imposuit, quasi sacrosancta synodus præfato Duci justitiam denegaverit, & obturaverit illorum ora, qui per justitiæ rigorem pro ipso volebant advocare.

Sed post perditionem castrorum, munitionum & oppidorum alia vindicta percussus est, videlicet maledictionis jaculo usque ad secundam generationem, quam suis exigentibus meritis merebatur. Patet ergo, ad id tibi responsum, quod altero loco recitabas.

DISTINCTIO III.

De supplicio, animositate ac devotione Hieronymi Pragensis, in Concilio Constantiensi exusti.

Tertio

TErtio & quarto de duobus *hæresiarchis* materiam exposuisti, quos, quorumque complices extimuisse te, elocuta es, acsi illi sanctam & desideratam valeant impedire unionem. Et in hoc quidem multum frustraris, nimis anxia & timorosa. Id enim, quod illi contra sanctam Romanam machinantur Ecclesiam, suo tempore sedabitur, & luent coërciti justa, quam merentur, vindicta. Non enim tam lucida, tamque clarens unquam etiam in statu tuo radiosissimo extitisti, in quo persecutiones aut hæreticorum aut tyrannorum perpessa non fueris, sic quoque usque in mundi terminum aut illorum infestationes, aut istorum tyrannides patieris. Ob hoc igitur ne doleas. Nosti enim, quod necesse sit, ut scandala veniant: Sed væ illi, per quem scandalum venit. Expedit enim, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum.

Hussus & Hieronymus Pragensis Romanam Ecclesiam oppugnarunt.

Enim vero, quid prodest homini damnato, & in infernum detruso *pro martyre pictura?* Et quid obest cœlica regna tenenti rumor latronis, & iniquitatis nomen? Certe nihil. Et quod resistunt utrique potestati, sacerdotali videlicet & imperiali, non multum obstat: Sed tempore justæ vindictæ vindicabitur malitia illorum, quorum finis interitus, & pœna sempiterna vindicta perpetua. Horum etiam solet hic incipere pœna temporaliter infligenda, ut duret, quæ sequitur, sempiterna.

De Hussi martyrio pictura inter Bohemos.

Sed dimissis his, quæ de *Johanne Hus* proposuisti, qui *igne combustus* est, &, ut meruit, judicatus est, veniam ad illum impium, dico, *Hieronymum.* Qui post revocationem suam atque aliquando dignam pœnitentiam publice recidivavit. Quem ob suam frivolam diramque pertinaciam sacrum damnavit concilium, & tanquam putridum enormeve membrum à sanctæ Christianæ religionis corpore judicavit ejiciendum. Unde lata contra eum sententia.

Hus ustus.

Hieronymus Pragensis à Concilio damnatus.

Coronam dedecoris, coronam horroris, coronamque turpitudinis sibi oblatam manu sua tenebat, in hæc verba prorumpens: *Christus, Deus meus, corona pro me spinea coronatus est, & ego pro ipsius gloria hanc coronam portabo libenter.* Quibus per eum prolatis aliquantulum genu flexit, & resurgens cecinit: *Credo in unum Deum*, usque ad finem.

Coronatus infula Papyracea.

Gavisus in contumeliis.

Devotus.

Et assumtus est, ut ad ignem probandus accederet, cantans in via: *Christi virgo dulcissima*, usque ad finem.

Miserabilis igitur homo ille miserabiliter incedens omnibus erat miserandus, eo demto, quod sui ipsius noluerit misereri. Ductus itaque ad ignis incendium *vestibus suis spoliatus est*, & ad ignem applicatus.

Vestibus spoliatus.

Cumque jam nudus staret flammis circumdatus, & æstuantibus lignis caleret, canere cœpit: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Et dum, *redemisti nos*, diceret, fumus flammivomus infelicem extraxit animam. Sicq; miser ille hæreticus miserandum baratro spiritum tradidit, & dedit perpetuo comburendum.

In rogo cantavit.

Ultima vox.

Per ista, quæ breviter posui, ad objecta mihi me sane opinor respondisse.

DISTINCTIO IV.

De impenso ALPHONSI Regis Arragonum in pacem ac unionem studio, ejusdemque ad Concilium Constantiense missis Legatis.

QVinto loco lacrymabiles & miserabiles effudisti gemitus, & miseranda suspiria propter *insperatam Serenissimi Regis Arragonum mortem*, in cujus vita inevitabilis sanctæ unionis pax hærebat. Necem ejus deplanxisti dolorosam quidem, imo multum luctuosam. Quam & ego tecum non modo lacrymis tuis, sed spe futuri boni provocatus intime plangerem, & corde tenus deflerem, nisi *literæ*, quas sacrum recepit concilium, *filii ejus primogeniti*, ex parte me consolarentur.

Alphonso Rex Arragon. ad Conciliũ scripsit.

Qui quidem filius bene dignæ memoriæ ac sanctæ recordationis *Ferdinandi*,

nandi, omnia & singula, quæ pater concepit & incepit pro schismatis extirpatione, & unionis sanctæ pace, perficiet, & ad effectum plenum deducet. Mors igitur illius pretiosa est in conspectu Domini, qui revera, ut supra memorasti, ante felicis animæ suæ emissionem filio suo *Alphonso*, regni sui verissimo hæredi, & cæteris regni sui nobilibus ad se vocatis, tanquam principali, filio suo, commisit unionis sanctæ executionem, per nefandi & execrabilis schismatis extirpationem, mandans & exhortans, ut ad hoc opus & inceptum negotium fidelissime intenderet, ut ex hoc præcipuam apud Deum Patrem laudem mereretur, & apud homines dignus Ecclesiæ filius haberetur.

Ferdinandi Regis Arragon. testamentum pium pro reformatione Ecclesiæ.

O veræ testamentum pacis æternum. Et quis amore divino coactus lacrymas hæc audiens continere poterit? Quis tanti Regis devota præcordia non miretur? *Solent* enim *morituri patres successoribus filiis terrena commendare, spiritualia oblivisci.* Sed *hic* ante omnia miserabilem Christianæ religionis intuitus statum, ut per filium, quantum in eo est, restauretur, mandavit & hortatus est.

Cum igitur in superioribus interrogaveris, ad quid confugias, & in quem confidas, per jam præcedentia cepisti responsum: Ut, quod in morte illius sancti Regis absolutum est, per filium ejus redintegrari valeat, imo & firmari debeat, omnibus, dolo, falsitate, & fraude seclusis.

Hæc ita se habere verissime crede, neque in me falsitatis ullum senties piaculum, quia vera sive veritas. Unde ad cor tibi redeundum est, ut consolationes meæ lætificent animam tuam, & spiritum tuum multa propter pericula arefactum refocillent.

Subjicis etiam de non venturis, ut trepidas, *ambasiatoribus Regis Arragonum.* Propter quorum absentiam times, omnimodam, quæ speratur, non affuturam unionem. Sed inter ista te sollicitam & turbatam dulcissime consolabor. Crede mihi, cui si credideris, videbis gloriam Dei. Non dico: Ecce dies venient, & suscitabo David germen justum. Sed affirmo clamans: Advenisti desiderabilis *comitiva*, nobilis, ut pax Ecclesiæ reformetur.

Venerunt & intraverunt civitatem Constantiensem, *quinta die Septembris, anno à nativitate mea M CCCCXVI.* Humiliavit se serenissimus & inclitus *Rex Arragonum*, & misit *Ambasiatores* solennes solenni comitiva. Et se sacro concilio unierunt, & *fecerunt quintam nationem.* Ob hoc namque proprios dimisere lares, hac de causa patriam, parentes, cognatos & amicos, uxores, filios & filias reliquerunt.

Legati Regis Alphonsi ad Conciliũ venerunt.

Quinta in Concilio natio Hispanica.

Et quid amplius vis, ut fiat, quod per istum *juvenem Regem* non est factum? Patri suo obediens inventus est, ut longævus sit super terram, patri cœlesti pia inclinavit præcordia, pacem anhelans tuam, ut in regno patris cœlica pace fruatur. *Venerunt* igitur, qui venire desiderabantur, exibant terras, finesq; suos, quos exire sperabantur, & propinquæ factæ sunt semitæ sanctæ unionis, cujus oppositum tu pronunciando putasti. Debes igitur caput erigere, & in lætitiam post tristitias jucundata resilire.

DISTINCTIO V.

De Benedicti XIII. S. Petri de Luna artibus ac fraudibus miseraque fortuna.

VIs, sponsa, respondeam, vis, ut fracto silentio lingua solvatur pendula, optas, labia ut moveantur mea, desideras, pulmonis stratum spiratibus impleri, cupis, me vocem eructare in clero atque vulgo. Scio te velle, & id satis optare, aurem-que tuam meis inclinandam sermonibus peroptime novi, ut forsan nonnulla tibi pandere possim latentia & occulta. Sed ob hoc noli me vexare, cum secreta nulla publicare valeam, quæ non noveris, O dulcissima sponsa.

Nempe *rebellio, dolositas* & *astutia atq; calli-*

Benedicto XIII. maledictus. Ejus astutia, Impietas.

callida prudentia hujus *maledicti Benedicti* mundum sic resonant per universum, ut etiam pueri & adolescentes illius incredibilem testentur *pertinaciam*, & rebellionem fateantur.

Hic est *vir* ille *impiissimus*, à Spiritu diabolico deceptus, qui egressus decepit Achab. Huic assidet iniquissima *Jesabel, sensualitas* videlicet, dominans rationem.

Falsitas,

Ubi sunt, dic *Petre de Luna*, omnium hominum *nequissime*, literæ tuæ, ubi scripta tua, ubi verba tua, quæ scripsisti, quæ dictasti, quæ locutus es. Ecce, audi verba tua, quæ scripto mandasti. Oblitus es forsan, quæ *Paulo de Ursinis* scripseris. Noli credere, ea oblivioni tradita. Ecce ista sunt, quæ seqvuntur. *Nos*, inquis, *ulterioribus non parcentes laboribus aut impensis, parati sumus, in loco decenti & idoneo, ac utrique securo, cum eis, sublato mora dispendio, convenire, & dare operam talem, ut totus mundus cognoscat, quod per nos non stabit, quin vera unio in Dei Ecclesia* habeatur. *O verba vulpino plena dolo*! Cogitasti tu per te statuere locum ad eundum *tibi* sat facilem & securum, sed *aliis* impossibilem, gravissimum & non tutum. Si igitur ex intentione vera, non falsi cujusquam operculo hæc scripsisti, & peragere ac perficere voluisti, cur nunc in plenitudinis tempore per te *ad sacrum concilium Constantiense non accessisti*, ut vel in ultima senectute constitutus tantum bonum executioni, quantum in te est, donares, ut libere spiritus tuus infelix corpus tuum exire mereretur, nullo retardatus viæ tam anxiæ dispendio, cujus nunc periculo horrido molestaris & præpediris.

Dolositas.

Concilii contemptus.

Legatos ad Concilium non misit.

Aut si inveterata ossa tua infirmitati subdita fuere, *Ambasiatores tuos* tui ex parte quare non misisti? Quia, ut gloriatus es, laboribus aut impensis parcere noluisti.

Vel forte *locus* ille tibi decens aut securus non apparet. Cur ergo *tibi* magis quam *aliis* indecens est & insecurus?

Sed hæc acta sunt, ut impleretur scriptura, dicens: *A senioribus egressa est iniquitas.* Et iterum: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Spernis matrem tuam, Petre.

Comparatio Petri de Luna cum Petro Apostolo. Petrus de Luna Christo adversus.

Non es *Petrus* ille, cui dixi: *Petre amas me?* Tu namque nunquam me dilexisti. Tu revera es *Petrus ille*, cui cum de passione mea, qua genus redimerem perditum, futura relaxarem, dixerat: *Noli Domine, sed parce tibi.* Tunc ajebam ad Petrum: *Vade retro Sathana, Recede à me, quod Diabolus es, aut Sathanas in te loquitur*, ut mihi suggeras, ne humanam propaginem damnatam liberarem. Tu revera es ille *Petrus*, cui Sathanas suggerit, ne papatui tuo & pontificatui prætenso resignes. Retro ergo ibis, quod *per sacrum generale Concilium maledictus deponeris*, & recipies pro benedictione maledictionem, & benedictionem tuam maledictionibus adimplebo, & cui benedixeris, erit ille maledictus.

In concilio deponendus.

Tu es revera *Petrus ille*, qui *negasti Christum.* Sed non es ille *Petrus*, quem Christus respexit, qui conversus exibat & flebat amare: Quod tu permanes in malitia tua obstinatus & induratus.

Petrus de Luna Christum negavit. Impœnitens, temerarius.

Tu es *Petrus* ille, qui dixisti: *Domine paratus sum tecum in carcerem & mortem ire.* Ecce, tu dixisti, nolo expensis fatigari aut laboribus, donec unio fiat in Ecclesia Dei. Sed tempore, quo *ingruebat* pacis unio, & *reformatio* sponsæ meæ, clamasti: *Non novi hominem. Nescio quid dicis.* Rumores sanctæ unionis facti sunt tibi tonitrua Romana, & Frisonica bella.

Reformationis hostis.

Tu es *Petrus ille*, qui *ambulasti super aquas*, sed cum vidisti ventum validum, *timuisti.*

Unionis & pacis contemptor.

Tu es *ille Petrus modicæ fidei*, cum vires pro sancta firmanda unione sumere debueras, dubitasti. Et in hoc dubio, timeo, usque ad mortem permanebis. Ecce, *qualis Petrus est iste Petrus!*

Comparatio Petri de Luna cum luna. Inconstans.

Iste est *Petrus de Luna. Luna frigida* est, & mater aquarum. *Iste frigidus est*, qui adveniente ultimæ ætatis suæ vespere in amore creatoris sui incalescere deberet, sed *frigidus* totus est effectus. Iste est *pater aquarum.* Aqua fluxibilis est: Et hic quantum sit *fluidus*, vita ejus tota testatur.

Consilii

Iste est *Roboam Rex*, qui *sapientum spre-*

to consilio juvenes ignaros maluit quam senes prudentes auscultare. Eapropter cum superbe præsumserat, è regno pulsus est, quamvis invitus. Et *iste Petrus* suorum fretus Consiliariorum ingenio, qui à veritatis methodo illum sepellunt, pelletur è regno pontificatus sui, non sine magnis dispendio atque scandalo, & infamia, per totius orbis secula personantibus.

Hæc sunt, ô sponsa, prima mœnium meorum fundamenta, quibus turrim inexpugnabilem constituam in futurum. Quippe ista protulerim contra *vagum virum*, etsi omnis illi *scientia* adsit, quam certissime nullus dubitet *inflantem*, quod foris divinum pellit honorem, & deiformem extingvit charitatem. *Doctus, sed arrogans.*

DISTINCTIO VI.

De Petri De Luna incorrigibili pertinacia, qui ad Papatus resignationem nullo modo adduci potuerit.

POstquam primus parens Dei præceptum transgressus erat, ambulans Dominus post meridiem in paradiso, quærens peccatorem, ei dixit: *Adam ubi es?* At ille tremens respondit: *Domine audivi vocem tuam, & timui, eò quod nudus essem.* Et ait Dominus: *Et quis ostendit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti.* Et ait Adam: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Et Dominus ad mulierem: *Cur hoc fecisti?* Quæ ait: *Serpens decepit me.* *Adami lapsi excusatio.*

Sic igitur sunt plerique, *quærentes excusationes, in peccatis*, sequaces parentum nostrorum primævorum. Nam alii per *infirmitatem*, alii per *impotentiam*, alii per *ignorantiam* se excusant. *Excusationis studium apud omnes.*

Petrus vero *de Luna* nullo horum se poterit excusare. Non *per infirmitatem* aut *impotentiam*. Cum alii etiam illo *infirmiores* in humana natura, jam *resignaverint*. Imo *infirmitas* non quærit obstinatiam aut rebellionem, quæ in ipso usque ad radicem reperitur. Omnis enim, qui ex infirmitate vel impotentia delinquit, culpam suam confitetur, & se peccasse cognoscit. *Petrus de Luna* nec culpam suam fatetur, neque se male egisse proclamat. Non ergo ex infirmitate peccavit. *Petrus de Luna excusari nequit, cur non resignaverit.* *Non infirmitate excusandus.*

Neque peccavit *ex ignorantia*, seu nescientia, quod forte se excusando posset affirmare, asserendo, se jam XXII annis summo functum Pontificatu pacifice, & ea de causa ipsum papatui resignare non debere. *Nec ignorantia.*

Et contra id primo veniam, & deinde concludam, illum *ex pura malitia* & peccasse & deliquisse, & in eadem sic permansisse diem usque in hodiernum. *Ex pura peccavit malitia.*

Primo namque contra ipsum inducuntur inducta, quæ *ex ipsius literis* contra eum manifeste proponuntur. Et non solum illa, verum etiam, cum in inferiori constitutus esset dignitate, *viam mutuæ renunciationis de summo pontificio contendentium* laudavit, approbavit, & utiliorem retulit, & faciliorem pro sanctæ religionis pace atq; unione. *Promiserat resignatione.*

Nec solis contentus verbis simplicibus, sed & cum aliis illius obedientiæ Cardinalibus *juravit* solenniter, *imminente* Romani Pontificis *electione*, in sua obedientia per eos fienda, quod si contingeret, ipsum in Papam assumi, pro tunc ipse unionem sanctæ Ecclesiæ sine excusatione, dilatione & machinatione, vellet diligentiori, quo posset, modo prosequi cum effectu, per omnes vias utiles & accommodas, etiam usque ad cassationem papatus inclusive, si præfatis Cardinalibus, qui tunc erant, vel eorum majori parti videretur expedire. *Juraverat hoc ante electionem.*

Ipse itaque *Petrus de Luna* assumtus in Papam *denuo juravit*, se prædicta efficaciter impleturum, si suis Cardinalibus *via mutuæ cessionis* placeret. Quæ omnibus, præter unicum Cardinalem, placuit. Et hoc idem ipso in papatum assumto fuit postea declaratum. *Juraverat idem electus.*

Fuit deinde ex parte Serenissimi *Caroli Francorum Regis* per suos solennes legatos, claræ memoriæ *Ducem*, *Byturicensem* *Admonitus à Rege Galliæ,*

censem & Burgundiæ, patruos, ac *Aurelianensem*, fratrem dicti Regis, & alios plures propter hoc ad eum destinatos, nec non zelatores pacis Ecclesiæ Cardinales Papæ præfati, Petri de Luna, quem sui Benedictum appellant, postmodum verò ex parte *Serenissimorum Principum, Angliæ & Castellæ Regum*, deinde specialiter & singulariter ex parte *Serenissimi Principis, Wenceslai Bohemiæ Regis*, tunc *Romanorum Regis*, & consequenter per plures alios cum magna devotione & humilitate supplicatum, ac etiam in vim prædicti, per eum præstiti, juramenti requisitum, quatenus prosequi vellet sanctæ Ecclesiæ unionem per viam mutuæ cessionis suæ & alterius cum eo de papatu contendentis. Quæ via fuit ab omnibus Christi fidelibus, & permaxime à Principibus & Prælatis atque universitatibus studiorum generalium magis approbata.

Angliæ, Castellæ, Bohemiæ,

Iuramentum repetivit.

Demum præfatus *Benedictus* quorundam victus instantia devota, Deo & Ecclesiæ *juravit*, vovit & promisit, pro Ecclesiæ concordia effectualiter celebranda *cedere summo pontificatui*, altero cum ipso de papatu contendente mortuo vel ejecto. Et licet *Johannes* ejectus sit aut *cesserit*, & venerabilis vir *Gregorius* libere *resignaverit*, ipse tamen nec cedere vult, nec resignare.

Sed pejeravit,

Amplius, ne se aliquibus, vi aut modo possit excusare, ex parte totius Christianæ religionis accessit ad eum devotissimus atque fidelissimus totius Ecclesiæ universalis advocatus, SIGISMUNDUS *Rex Romanorum* in persona propria, & claræ memoriæ FERDINANDUS *Rex Arragonum*, & nonnulli alii Principes & Domini suæ obedientiæ, nec non *legati Franciæ, Angliæ & Castellæ*, atq; *Caroli Navarræ Regum*, atque *generalis Concilii Constantiensis* provinciæ Moguntinæ, magna cum instantia, devotione & humilitate ipsum requirentes, quatenus *pacem Ecclesiæ* per suam *resignationem* concedere dignaretur.

Rogatus iterum à Sigismundo Imper. Ferdinando Arragon. Rege, Legatis aliorum Regum, totiusq; Concilii Const.

Ipse verò prænarratis *Ecclesiæ* sanctæ *calamitatibus non compatiens*, neq; compassurus, *nec vim considerans juramentorum*, quæ juravit, altissimo de loco *Perpiniani*, ad quem præfati Reges & Principes pro prædictis convenerant, manu secessit armata, & ad *Colliberum* maris portum, ubi suas armatas habuit galeas, se transtulit, tanquam *publicus Ecclesiæ tyrannus*, & tuus manifestus inimicus.

Perpiniano fugit.

Colliberũ se recepit.

Publicus Ecclesiæ tyrannus.

In quo quidem loco cum adhuc existeret, iterum de præfatis fuit requisitus pro parte *oratorum Regum Castellæ, Arragoniæ & Navarræ* prælatorum, nec non dilecti filii *Johannis Comitis Fuxi*. Qui requisitionem non exaudiens de loco dicto recessit, & in castro *Paniscolæ* munitissimo diœceseos Dertusensis, ubi ad eum non est tutus aditus, se contulit, & reclusit.

Demuo monitus a legatis Regum.

In castro Paniscolæ delituit.

Ubi ex parte præfati *Serenissimi Principis, Regis Arragonum*, de præmissa *cessione* pro Ecclesiæ pace fienda, fuit iterum & tertio requisitus. Et iterum recusavit. Et possetenus horrendum istud atque execrabile schisma nutrit & fovet, & omnia, quæ potest, *præstat impedimenta*, ne ad pacem Ecclesiæ valeat perveniri.

Iterumq; commonefactus à Rege Arragonum.

Incorrigibilis.

Ex quibus omnibus luce clarius apparet, præfatum *Petrum de Luna ex pura malitia & obstinatione* & peccasse & peccare, alter factus *Pharao*, qui non resignavit nisi in manu forti, neq; te sponsam meam dimittet afflictam, donec in rubro mari demergatur in profundum.

Obstinatus.

Pharaoni similis.

Claret etiam, dictum *Petrum* esse fautorem & nutritorem hujus inveterati schismatis, quo jam XL annis offensus sum per hanc generationem Cain pessimam. Quanquam & dixerim illis: *Hi errant corde. Ipsi vero non cognoverunt vias meas quibus juravi in ira mea: Non intrabunt in requiem meam.*

Ex his concludo, *Petrum de Luna* esse perfectum *schismaticum, hæreticum & perjurum.*

Encomia Petri de Luna.

DISTINCTIO VII.

Petrus de Luna ad generale Concilium Constantiense per edictum publicum citatus.

His

Petrus de Luna ad Concil. Const. citatus.

HIs omnibus per mundi sapientes intime consideratis, *sacrum generale Constantiense Concilium* non potens de cætero istius *pertinaciam* sustinere, ipsum *Petrum citavit* & citari fecit, materia superius immediate posita tanquam firmissimo præsupposita fundamento.

Citationis Conciliaris formula.

Unde sub his verbis sequitur forma verborum: *Convenientes igitur in unum, more solito canonice convocati ac repræsentantes ipsam universalem Ecclesiam &c.* & infra: *Et quod eundem Benedictum fecisse & facere, quo minus ad personam suam pateat tutus accessus, super his recepta summaria ac legitima informatione reperimus, nos specialiter, & ex certa scientia, eundem Benedictum citari decrevimus per edictum publicum ad instantiam edictorum in albo prætoris positorum, citatoriamque ipsarum in audientia publica literarum, ejusdem sacri Concilii, quam vicem & effectum Apostolicæ curiæ & audientiæ apostolicæ literarum decrevimus & decernimus exercere & publice fiendam. Vobis omnibus & singulis & cuilibet vestrum, qui super his exequendis fueritis requisiti, vel fuerit requisitus, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus vigore præsentium literarum nostrarum citetis publice præfatum Benedictum, quem etiam nos tenore earundem literarum citamus, ipsasque literas nostras publice legatis, vel legi faciatis. Insuper ex abundanti ad personam ejusdem Benedicti, si ad ipsum tutus vobis vel vestrum alicui, requisitis vel requisito fuerit forsan accessus. Sin autem, ad portas dicti Castri, loci, seu villæ Paniscolæ: Si etiam illuc vobis vel vestrum alicui, ut præmittitur, fuerit tutus accessus. Alioquin in Ecclesia Dertusensi, & in valvis Ecclesiarum majoris villæ sancti Matthæi, aut villæ seu Castri Servario ejusdem Dertusensis diœceseos, aut in aliis locis circumvicinis, quæ ad hæc idonea decernimus, in ipsorum locorum Ecclesiis infra missarum solennia easdem literas nostras alta & intelligibili voce publice legatis aut legi faciatis, eundemque Benedictum citetis peremptorie, ac uno edicto peremptorio pro omnibus. Quem etiam eodem modo per præsentes citamus ad comparendum personaliter in dicta Ecclesia cathedrali Constantiensi, in loco sessionis nostræ, ad diem videlicet centesimam à die lectionis earum nostrarum literarum prædictarum, vel ad diem LXX à die citationis factæ ad personam suam, vel ad valvas sui domicilii, si, ut præmittitur, fieri contingat. Alioquin à die citationis factæ & publicatæ in Ecclesia Dertusensi prædicta. Quem terminum primo, secundo & tertio peremptoriis terminis assignamus ad videndum & audiendum super præmissis omnibus & singulis, & maxime super crimine schismatis & hæresis tanquam super notoriis, aut aliàs procedi ad omnes & singulos actus & articulos judicii seu causas hujusmodi usque ad definitivam sententiam inclusive, ipsamque sententiam proferri videndum & audiendum, prout juris fuerit, & prout utilitati universalis Ecclesiæ prædictæ visum fuerit expedire, intimantes eidem & publicè, prout etiam nos per nostras literas intimamus, quod, sive venerit, sive non, nos etiam ipsius absentia divina repleti præsentia contra eum super omnibus & singulis præmissis usque ad definitivam inclusive sententiam procedemus, prout ad utilitatem ipsius universalis Ecclesiæ mediante justitia videbitur faciendum. Volumus autem & mandamus, quatenus easdem nostras literas, quas duplicandas & triplicandas, ac quoties opus fuerit, multiplicandas in valvis Ecclesiæ majoris Dertusensis prædictæ affigatis, vel affigi faciatis, & affixas dimittatis per duas horas, Et deinde loco ipsarum nostrarum literarum sic affixarum copiam illarum sub signo alicujus notarii, eisdem originalibus receptis, affigatis vel affigi faciatis, & affixam dimittatis, quatenus toties & in tot locis facta earundem literarum ac citationis publicatio omnis ignorantiæ & tergiversationis locum excludat. Decernentes, quod citationes hujusmodi factæ in audientia literarum, nec non in Ecclesia Dertusensi præfatis cum affixionibus ad valvas Ecclesiarum prædictarum, ut præmittitur, & alterius ipsarum & quælibet earundem citationum sic valeant, & illum arctent post lapsum terminorum ipsarum citationum, & cujuslibet earundem, ac si ad propriam ipsius personam citatus extitisset, & eidem personaliter nostræ prædictæ literæ præsentatæ & lectæ extitissent. Omnes & singulos, Reges & Principes & Dominos temporales, & præcipue charissimum Ecclesiæ filium, Alphonsum Regem Arragonum, omnesque secularem & temporalem pote-*

potestatem continentes, quocunq; nomine seu titulo nuncupentur, requirimus in fide Christi & Dei, eosq; nihilominus ex parte nostra requiratis, quatenus vobis & cuilibet vestrum in exequendis præmissis præbeant auxilium, consilium & favorem, vosq; & quemlibet vestrum ab omni impedimento vel impedimentis, & ad præmissa omnia & singula, quantum in eis erit, protegant & defendant. Mandantes vobis & vestrum singulis, prout ad quemlibet pertinebit, quatenus nobis in generali sessione de gestis per vos, & responsis, fideliter sub publicis instrumentis intra terminos citationum ipsarum recitare faciatis, & debite præsentetis. Dat. Constantiæ IIII Cal. Decembr. Anno à nativitate Domini M CCCC XVI.

DISTINCTIO IIX.

Petrus de Luna aut Benedictus XIII. contumax in Concilio Constantiensi à sede Papali dejectus.

HAc citatione executioni mandata, lecta fuit coram præfato *Benedicto*, & fideliter executa in præsentia illius personali à venerabili viro *Domino Lamberto de Stipite, Priore ordinis sancti Benedicti, diœcesios Leodiensis.*

Lambertus de Stipite citationem Petro de Luna prælegit.

Sed ille salutis suæ immemor in animæ suæ gravissimum ac horrendum periculum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ *contumax* factus est & *rebellis.*

Unde & sacrosanctum *Constantiense Concilium* eundem Benedictum, prout meruit, judicavit & sententiavit *schismaticum* notorium, *hæreticum & perjurum.* Et per consequens tanquam putridum membrum ejecit & degradavit ab omni dignitate pariter & honore.

Contumax Petrus de Luna. Per Conc. Constant. Condemnatus, à sede Papali dejectus.

Et ut clarius pateat, sequitur *contra eum lata sententia* sub hac forma: *Sacrosancta &c.* [Vid. in Actis Concilii.]

DISTINCTIO IX.

De SIGISMUNDO IMPERATORE ex periculoso itinere ad Constantiense Concilium reverso. Cujus in Ecclesiam & publicam tranquillitatem merita commendantur.

AUdi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Aperiam os meum in magnitudine laudis. Dabo salutem in Hierusalem, & in omnem terram mittam gloriam salutaris mei. Audite igitur cœli, quæ loquar, audiat terra verba oris mei. Concrescet ut ros eloquium meum, & sermo meus veluti gramen germinabit. Timore concussa dilectissima sponsa mea, tumoreque quassata *mortem* universalis advocati tui, quam rumore in aëra levatam auscultasti, formidabas. Et alia, quæ ora loquentium infrunite ac mendaciter protulere, esse vera pertimuisti. Sed & in hoc te non reprehendo.

Captivitas enim *illius, mors* vero permaxime, religionis sanctæ *congregationem Constantiæ collectam* discinderet, & schisma inveteratum induraret & nutriret, finemque intentum *generale Concilium* non haberet. Ipse enim *solus* est vir ille, qui te *reformabit*, atque in statum sanctæ religionis pristinæ collocabit. Inveni namque virum secundum cor meum, qui reædificabit civitatem sanctam Hierusalem, de qua Spiritus sanctus per os sic dicebat: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Hæc est revera civitas, quam Johannes se vidisse commemorat, dicens: *Vidi civitatem sanctam, Hierusalem novam descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Et infra: *Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* Hæc sancta civitas Hierusalem Ecclesia est militans, quam Johannes post antiquitatem vidit renovatam. Ipsa enim in principio nova formata est post contemtum synagogæ. Qua spreta cum in cruce pro ipsa levarer, nova facta est, & post Evangelii promulgationem synagoga mortifera facta est, terræ re-

Sigismundi Imper. in Concilio Const. merita.

condita. Sed ipsa civitas novella claruit per orbem, quæ per multa annorum centenaria religiosissime vixit. Sed ultimo jam in tempore, *XL* videlicet *annis*, nimis inveterata, scissa est, & dirupta per multorum malitiam, de quibus supra pleraq; nos contulisse reminiscor. Nunc verò temporis adveniente plenitudine *tota reformabitur*, quæ tota dirupta est, tota sanabitur, quæ tota jacuit ægrota, & tota reviviscet, quæ tota fuit occisa.

Sigismundus Reformator Ecclesiæ expetatus.

Reformabitur ergo *per fidelissimum filium tuum* SIGISMUNDUM, *Romanorum Regem*, advocatum tuum, cujus status salvificus & magnificus est. Qui jam est *in Constantia Princeps gloriosus*, cujus *prudentia* cuncta reguntur, cujus *sapientia* singula gubernantur, & cujus *providentia* omnia disponuntur.

Caroli Magni æmulus.

Novimus, *Carolum Magnum* gladio mundum ad fidem convertisse, qui & stupenda atque miranda gessit opera, ut ad unum ovile oves hinc inde dispersas congregaret. Hic vero *Rex* totum orbem terrarum, horrendo maculatum schismate, & XL annis divisum, scissumve, ad tantam reduxit pacem, tantamq; unitatem concordiæ, ut jam *conclavi in civitate Constantiensi fabricato* de sola summi Pontificis electione agatur, *reformationibus in capite ac in membris jam notatis.*

Conclave Constantiæ paratũ pro eligendo novo Papa. Reformatio in capite & in membris in Concilio Const. quæsita.

Lætare ergo Hierusalem, quia dispensatorem strenuum, regio sanguine exortum, tibi contuli, SIGISMUNDUM. Unde *carmen* sequens voce jucunda decantabo.

EN velut è spinis rosa tincta coloribus istis
Albo cum rubro prodit: Sic prodiit almo
Sangvine perfusus, REX inclitus atque serenus.
E spinis prodit, quia sponsam cum male rodit
Impia scissura, portendit regia jura.
Albus inest gratus color, atque rubens sociatus.
Primus inest splendens, alter per florida fervens,
Regis splendorem primus, signatque decorem
Vitæ fulgentis super omnia culmina mentis.
Alter virorem confert color, atque calorem.
Albo splendescit animus, rubeoq; liquescit.
Primo purgatur, secundo mens satiatur:
Inducit primus opus, omne bonum docet imus
Constanter, mire de cœptis non resilire.
Concilium tale color advocat hic *generale.*
Alter perdurat, nec amantem lædere curat.
Ut rosa pulchra patet, rosa candida, florida claret,
Utque rubens rosula, rosa mellea, rorida, pulchra.
Et velut hi flores florum dicuntur honores,
Sic *Rex* iste choris decus omne probatur honoris.
Floret deliciis roseis per climata, turbis
Fultus & armatus, cunctis per secula gratus.
Cui se subjiciunt Reges, cui pectora subdunt,
Magni scutiferi, qui novit prælia ferri,
Cui gens obaudit, cui mundi machina plaudit,
Turcos prostravit, gentiles suppeditavit;
Schisma tulit mundi, mundi per climata fusi.
Omnia colligere valuit, quæ rupta fuere.

Hinc

Hinc lætare pia, quæ tristia promere, sponsa,
Tu consuevisti, jubilans respondeas isti.

DISTINCTIO X.

SIGISMUNDI IMPERATORIS elogia ab Ecclesia decantata.

PLus, quam credere quis possit, exulto, & ultra modum lætabunda progredior, alacris viam curro, nova lætiora nunquam audiam, neque auscultabo. Sit nomen ejus gloriosum tam glorioſi *Regis*, tam fidelis *Principis*, qui unica spes mea est.

Sigismundi reformatione.

De quo quædam solennis vertitur prophetia, quæ canit *totum universum in novellum statum & optimum per ipsum reformandum.* Hæc, sponse mi dulcissime, ex verbis tuis, quæ clarissima promis veritate, conjicio verissima, & à veridicorum etiam ore prolata nuperrime sum experta. Unde nimirum in laudem ipsius *Regis Serenissimi* prorumpens sequens cano carmen:

Prophetia de magna

HIc vivat semper *Rex magnus*, magnificus *Rex*,
Et vivat regnans, sustentans climata mundi!
Hic, solio fungens regali, *Rex* generosus!
Vivat *Rex mitis*, *Rex prudens* inclitus hic Rex!
Hic vere magnus *mundi monarcha* supremus,
Lux & dux cleri, cœlo sublimior alto,
Justus, mansuetus, humilis, fortis quoque mitis.
Hector de Troja, *Carolus Magnus & Achilles*,
Hic *Diomedes*, & est *Moises*, vir strenuus, atque
Rex *David*, *Salomon*, *Josias*, sic & *Ulysses*.

* * *

SIGISMUNDI ex Concilio Constantiensi triumphus, nomine Christi Ecclesiæ denunciatus.

Meritò post cumulum threnorum lætari poteris, post lacrymarum effusionem innumeram gaudere compelleris. Nam nunc tempus advenit, ut dicas:

Gaudia præmissi cumulant inopina dolores.

Et ut ait Poeta:

Insta, ne cesses, venient post semina messes.
Post lacrymas risus, post exilium paradisus.

Gaudium publicum ob Sigismundi in Ecclesiam merita.

Hæc omnia gaudia venerunt super nos per *Serenissimum Principem SIGISMUNDUM, Romanorum Regem* devotissimum, ac universalem advocatum tuum, qui opus tam laboriosum duxit ad effectum, quod à XL annis usque in tempus præsens totius mundi sapientibus & nobilibus resistebat, qui etiam omnem, quam poterant circa istud opus diligentiam habuere. Ut concludendo de ejus *triumpho* canere possim ad te sponsam meam:

NObilis Athlantem currendo vicit alacrem
Ipomenes, magno Regis de semine natus,
Qui solus meruit vincens sibi fœdere jungi
Conjugis atque viri, reliquis pro sorte necatis,
Fit labor his cassus magnis, te qui voluere
Ducere pro cursu, solus tibi *Rex* copulatur,
Aurea qui poma proposuit ordine grato,

Quæ Venus electo juveni dedit omine lecto.
Cœlifer Athlantem juvit jam mole cadentem.
Sustinet hic cœlum, te pondere sublevat omni,
Hic tuus atque meus *Rex* fortis, sorte gravatam
Terrigenas ausos sedem corrumpere Jovis,
Fulmine laxavit, *destruxit culmina montis*,
Grandes calcavit, simul hostes suppeditavit.
Hic Rex magnificus, quem gloria laudat honoris,
Tartareos Ditis reserat vectes furibundi,
Alcidis fortis manus, atque potentia grandis.
Cerberus est captus per eum, qui singula cepit.
Cepit & hic mirans, quem mammona magna levabat, * * *Johan. XXIII.*
Ac confortabat, omni spe jam spoliatum.
Occidit prudens Argum, stellis variatum,
Fraudibus atque dolo vulpinis sæpe probatum. * * *Italos.*
Et rudis & grossus vulpem decepit asellus,
Nec rubeum valuit vulpis succurrere vellus.
Hydram, cui septem creverunt culmina sensus,
Herculeus labor & terror *scidit ordine* miro.
Destruit hic hæreses, mortis pœnâ feriendo.
Deficiunt linguæ, jam deficit os numerandi
Regis virtutes perfusi lumine divo.
Hinc cessent verba, cesset nunc lingula fari.
Cessent sermones. Sileamus, florida sponsa.

* * *

Lætus Concilii Constantiensis eventus celebratur nomine Christi.

SUpereſt adhuc unica reſponſio ad ultimum per te objectum, cujus tamen diſſolutio ex immediate prolatis clariſſima eſt. Ne tamen aliquid indiſſolutum pateat, & idem enodabo.

Objicis namque, *invidiam & Sathanam* intereſſe ſacro Conſtantienſi Concilio. Unde impediri times propoſitum atque unionis ſanctiſſimæ effectum. Verum, cum propter iſta tam anxia trepides, & univerſali credas rumori, finem intentum acquiri non poſſe: E contra ego toti mundo prædico, etſi quæ fuerat invidia aut zizania agro ſuperfuſa divino, penitus illam, ne dubites, jam ablatam.

Lites in Concilio ſaborta, compoſita.

Et quid mirum, ubi de tanto agitur opere, tamque ſolenni negotio, arduoque nimis, ſi cauſa diſputationis ſeu inventionis melioris methodi *multi inter ſe multa ſenſerint*, ſic tamen, ut per tam vias varias unus ſequatur finis, ad quem omnes anhelant. Noſti etiam, per diverſas probationes ſæpe unius propoſitionis oſtendi veritatem.

Nulla magna congregatio absq; omni diſſenſione.

Non ignoras etiam, *Paulum & Barnabam* gentium doctores inter ſe diſſenſiſſe, & ſanctiſſimos viros, *Johannem* dico *Chryſoſtomum* & *Epiphanium*, & verbo & ſcriptis diſſenſionem inter ſe habuiſſe.

Pauli & Barnaba contentio, Chryſoſtomi & Epiphanii.

Sed quicquid factum ſit, jam tranſiit in præteritum, *concordes* etiam ſunt & unius animæ, unius intentionis, uniusq; propoſiti *nationes omnes* exiſtunt cum *ſacro Cardinalium collegio*, ut uni ovili unus paſtor bonus præponatur.

Concordia in Concilio.

Nihilque aliud agendum eſt, niſi ut *poſt reformationem totius Eccleſiaſticæ dignitatis* ad ſummi Pontificis electionem procedatur.

Reformatio totius Eccleſiæ deſiderata.

Et proceſſum eſt, & electus eſt nobiliſſimus Dominus *Oddo Cardinalis*, & vocatus eſt MARTINUS V. Et ſic præoptata & diu deſiderata pacis unio facta eſt ad effectum, patre meo, & Spiritu ſancto, meque efficiente, ut regnum militantis Eccleſiæ gloriæ triumphantis, quantum poterit, comparetur.

Electo novus Pontifex in Concilio, Oddo de Columna Cardin. dictus Martinus V.

Epini-

Epinicia Ecclesiæ, in laudem SIGISMUNDI IMPERATORIS.

CArmine læta tuo, jam desino tristia fari.
Gaudia plura meo veniunt in pectore. Nam quæ
Anxia forte fui, mœrens, & tristis & ægra,
Fletibus impleta, lacrymosaque, pallida, nigra,
Florida nunc surgo, roseo perfusa colore,
Gaudiens & plaudens cano cantica carmine læto,
Post planctum plausus, post tristia gaudia canto.
Illa dies felix, & nox ea sit benedicta,
Et cœli stellæ radioso lumine plenæ,
Quæ radiis pulchre splendebant, sint benedictæ,
In quibus illustris regali semine natus
REX REGUM *mundo datus est per schismata scisso,*
Qui me solatur, qui cuncta *reconciliavit,*
Quique *reformavit,* quæ singula rupta fuere.
Gaudeat omne genus, species lætetur & omnis.
Et latitudo perfecti quælibet entis
Gaudia nunc resonet, & cantet carmina, melos.
Astra, polus, cœli, mare, tellus, gaudia cantent.
Spiritus Angelici plaudant, & machina tota
Cœli, cum terra plaudant, mœrore repulso.
Sint tibi, nate Dei, grates, dulcissime sponse,
Qui cum Patre tuo vivis per secula cuncta. Amen!

FINIS.